CONSTITUTIONES SYNODALES QUAS ILLUSTRISSIMUS D. D. EPISCOPUS JOANNES RENIER...

Giovanni Renier



CONSTITUTIONES SYNODALES

QUAS

ILLUSTRISSIMUS AC REVERENDISSIMUS

D. D. EPISCOPUS

JOANNES RENIER

ANNO MDCCCLXI


KALENDIS

ET VI. ET V. NONAS

MAJI

FELTRENSI DIOECESI

INDIXIT



FELTRIÆ

EX TYPOGRAPHIA SEMINARII EPISCOPALIS

NOS
JOANNES RENIER
DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA
EPISCOPUS ET COMES
FELTRENSIS ET BELLUNENSIS
EQUES SS. MAURITII ET LAZARI
AC S. A. I. ORDINIS CONSTANTINIANI S. GEORGII CAPPELLANUS
ETC. ETC. ETC.



Venerabili Clero Feltrensis Dioecesis

Ecce, Venerabiles Fratres, Acta Synodalia, quæ ad Sacrorum Canonum præscripta, piis doctisque juvantibus viris, exceptisque Reverendissimi Capituli Cathedralis, eorumque, quos jura postulant, consiliis, concinnavimus, et diebus prima, secunda et tertia Maji promulgavimus, in lucem prodeunt edita typis. Tradendæ suas, quas polliciti sumus, Doctrinæ Christianæ normas et Statuta pro casuum Collationibus, et Parochorum Congregationibus in posterum dabimus. Nunc, quod ad rem pertinet, vobis in mentem revocamus Decretum suprema Sessione indictum, quod statim atque Synodales Constitutiones publicæ per typos fierent, plenum suum obtinebunt vigorem, et cunctos Nostræ Jurisdictioni subditos afficient.

Quare nequis ignorantiam erroribus prætendere audeat volumus et jubemus unumquemque de Clero hujus Synodi exemplar sibi comparare, et se penes habere.

Secundo. Volumus, ut qui in Clerum conscribi postulant, et Clericalem de nostræ licentia auctoritatis Habitum deferunt, vel induere cupiunt, Synodi pariter exemplar acquirant, et quæ illis præcepta sunt attenta lectione discant.

Dum autem hæc imperamus, pro paterna Nostra caritate unumquemque hortamur ad obedientiam, et sedulam in exequendis mandatis curam, ut ex conscientia recte operantes singuli eum sibi Sacerdotalem spiritum suscitent, quem Ecclesia desiderat et sanctis suis semper institutis et legibus informare studet. Idque precibus etiam efflagitamus, ne ad quemquam, quod Deus misericors malum avertat, in virga veniamus, et reluctanti equidem animo, sed muneri justitiæque parentes ad sacrorum Canonum jussa transgressores debita pœna puniamus.

Datum Feltriæ ex Episcopali Nostra Residentia die quinta Maji anni 1861

✠ JOANNES EPISCOPUS

JOSEPH DOCT. BOVIO *Pro-Cancell. Episcopalis*

SYNODUS
DIŒCESANA FELTRENSIS



PARS I. CAPUT I.

A Fide nostræ principium vocis: *Fides* enim *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* eo necessaria est homini ut *sine fide impossibile sit placere Deo (a)*; in eaque nostra omnis exultat gloria, namque *hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra: et præpositi nostri, qui nobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuemur exitum conversationis, per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones (b)*. Quare toto pectore, ferventique animi contentione non cessamus pro vobis orantes, et postulantes, ut permaneatis in fide fundati, et stabiles et immobiles *(c)*; hortamurque vos et præcipimus ut omni studio ac sollicitudine *superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei*, tales efficiamini, ut *certetis bonum certamen fidei* ad salutem animarum vestrarum, et *prophetantes hominibus loquamini ad ædificationem, exhortationem, et consolationem (d)*. Non tamen nos, quæ ad credendum Christiana proponit Religio, læva de vobis suspicione abducti, vel quasi novitios eru-

dientes, suscipimus exponenda. Verum cum id maxime temporis, perversi callidique homines, ingenio abusi, vere Pseudochristi, sub ipsa obsequii specie subvertere omnia conentur, eoque subtili cavillatione, et magna sæpe doctrinæ ostentatione imponentes contendant, *ut si fieri potest in errorem inducantur etiam electi (e)*: qui quandoque tam denso vellere latentem luporum indolem obducunt, ut Sanctorum impie, fraudulenterque imitati opera, eorum fere exprimant formas ne *a fructibus cognoscantur (f)*; non possumus quin sanctissimum illud dogma, quo quasi compendio cætera continentur, quodque unum, si alto inhæreat corde, sufficit ad errores quoscunque discutiendos, fraudesque et dolos, quavis perfusos tenebra, revelandos, vobis in mentem revocemus, atque obsecremus ut sæpe animo replicetis, omniaque cum illo tamquam cum lydio lapide conferatis. Non novum aliquod afferimus, vetus enim doctrina est a Sanctis olim Apostolis tradita, et Christiano populo ubique et semper accepta, atque in Christiani nominis professionem cum Nicæno Symbolo repetita: *Credo unam Sanctam Catholicam Apostolicam Ecclesiam.* Origo hanc honestat divina, divina exaltat auctoritas, divini coronat gloria triumphi. Ea est *Mulier amicta sole, et in capite ejus corona stellarum duodecim,* contra quam *Draco pugnabat, et angeli ejus, et non valuerunt (g).* Ad quam professionem eo alacrius vos invitamus quo notum habemus gloriari vos, quod a primo usque reparatæ salutis sæculo, eam reveremini, atque observatis matrem, quæ Feltrensem populum, Divo Prosdocimo Petri discipulo ministrante baptisma, ad Salutis gratiam genuit in Christo Jesu. Hanc itaque unam credamus, cui verba æternæ vitæ, et divinorum dispensatio credita mysteriorum, et cœlicæ beatitatis via demonstrata. Illa una est a Christo magistra gentibus præposita: illa una divini verbi sive scripti, sive traditi custos, atque infallibilis in-

terpres: illi uni docendi, regendi, corripiendi populi facta est facultas. Quæcunque proponat, quæcunque jubeat, Deus ipse, qui suo illam Spiritu atque auctoritate informat, proponit et jubet. Quare quod illa tenuit, et tenet, quod definivit, et definiet, tradidit, et tradet, præcepit, et præcipiet sicuti divina, ut sunt, documenta et jussa subdito corde excipientes, habete sacra: cum illa hæreses omnes, et schismata qualibet orationis forma, vel honestatis, ac pietatis specie fucata, damnate. Œcumenica ejus Concilia, quotquot sunt, et novissimum maxime difficillimo tempore Dei Providentia absolutum, scilicet Tridentinum, sicuti Sancti Spiritus vocem et sacra Evangelia dociles devotique, tota animi subjectione, prosequimini: *et si quis evangelizaverit præterquamquod accepistis (h),* anathematizate illum sicut ethnicum, et publicanum. *Columnæ huic, et firmamento veritatis (j)* attendentes, quod Paulus tam enixe Timotheum suum et primos ex Hebræis Christianos poscebat, *devitabitis profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ quam quidam promittentes circa fidem exciderunt; et doctrinis variis, et peregrinis non abducemini (k).*

Cum autem scelestorum hominum malitia in tantum nequitiæ devenerit, ut omnia suffundens tenebris, et confusione, ipsa quoque sanctissimi hujus dogmatis verba quadam nova atque impia interpretatione ad simplicium animos infernis retibus illaqueandos prave detorqueat: atque ad universitatem Christianæ antiquitati inauditam referat, quæ desiderio carnis, et voluptatibus omnibus pro instituto suo blandiatur, gremioque excipiat quoscunque homines etiam infideles, atque ad perfectiorem Ecclesiam, humanique generis in illecebris renovationem sit gradus, et præparatio; ne quis vestrum *pruriens auribus a veritate auditum avertat, ad fabulas autem convertatur (l):* cum ipsa Ecclesia in Tridentina Synodo congregata *ad*

summam illam Ecclesiarum omnium matrem et magistram Romanam Ecclesiam (m) atque ad summum in terris animarum vestrarum Pastorem Romanæ Ecclesiæ Pontificem, *in quo hærede Divi Petri Apostoli dignitas non deficit (n),* cui ab omnibus fidelibus vera obedientia debetur, sicuti Dei in terris Vicario *(o)* adducemus: hunc Patrem habete, et pro eo ut olim Ecclesia pro Petro, ut decet filios sine intermissione orate: *ut Dominus conservet eum, et vivificet eum,* et *beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus (p);* illiusque vocem dociles suscipite, *et Deus vos perficiet, confirmabit solidabitque (q).* Hic est enim, quem Christus, *qui lapis est factus in caput anguli,* sibi consociavit, et unum secum fecit esse *Petram* supra quam *ædificaret Ecclesiam suam, ut et nos accedentes tamquam lapides vivi superædificaremur domus spiritualis:* itaque ubi Petrus ibi Ecclesia. *honor credentibus, non credentibus autem lapis offensionis, et petra scandali (r).* Hic est cui totius Ecclesiæ commissa *(s)* est sollicitudo, in cujus honore illa honoratur, in cujus gaudio congaudet: hic est qui fratres confirmat, qui sacras oves suscepit pascendas: hic qui claves regni ab ipso possidet Christo, et cujus *terrestre judicium præjudicata auctoritas sit in cœlo, ut quæ in terris aut ligata sunt, aut soluta statuti ejusdem conditionem obtineant et in Cœlo (t).* Hic ille cujus *vox vox vitæ est, et sicut confessores suos in cœlestia provehit, ita negatores in inferna demergit (u).* Romanos ergo Pontifices, quos semper doctores, et legislatores Sancto Spiritu illustrata veneratur mater Ecclesia, et vos dociles veneramini; sitque vobis nefas ab illis uno etiam apice dissentire, et si quis dissentiat, si quis contradixerit, et Christi verba Petrum alloquentis solverit cum Joanne Antichristum habete, et *nec ave ei dixeritis (v).*

Huic itaque tanto nos dogmati obsequentes, et Con-

cilii Tridentini decretis, et Pontificum Romanorum Constitutionibus obedientes, volumus, ut quisquis beneficium Ecclesiasticum, Dignitates, Canonicatus, Magisterium aditurus est, coram Nobis, vel Vicariis a Nobis delegatis, qui vero in Capitulum assumuntur etiam coram Capitulo, fidei professionem a Felicis Recordationis Pont. Paulo IV. editam cum præscripto jurejurando emittat, et sic de Fide sua certiores nos faciat; aliter spe omni beneficii, aut officii potiundi privabitur, pœnisque a jure contra suspectos de Hæresi constitutis plectetur.

E Provincialis vero nuper habitæ Venetæ Synodi præscripto, et jure nostro volumus, ut juramento pari sub earumdem pœnarum interminatione confirmet, se Constitutiones *Unigenitus* atque *Auctorem Fidei*, cæterasque post Tridentinum a Pontificibus editas sanctas sacrasque habere, et contraria omnia pro impiis damnare, atque execrari. Pariterque illud totius Christianæ reipublicæ lætitia celebratum, quo Rationalistarum cavillationibus oppugnata, vel prave detorta Catholica de originali peccato doctrina suo nativo lumine illustratur, Immaculatæ B. M. V. Conceptionis dogma anno 1854 die 8 Decembris a Summo Pontifice Pio IX. in bulla *Ineffabilis* definitum et promulgatum explicite credere, et firmiter tenere profiteatur.

Quia vero *Sacerdotes ex hominibus assumpsit Deus*, non ut nostram solummodo operemur salutem, sed *ut pro hominibus constituti, eamus et fructum afferamus, et fructus noster maneat,* curandum est ut *qui in nobis est Dei grex (x)* suæ vocationis beneficium agnoscat, et fidem quam accepit mente ruminet, integramque conservet in pectore. Quare dum miserrima hac tempestate, plerique plebem subvertere atque a fide avertere conantur, ut malo, si irrepserit, mederi, vel contagia prohibere studeamus, cum eadem Provinciali Synodo præcipimus, ut Sacerdotes, qui primam diebus festis missam in Succursa-

libus celebrant, ante vel infra Sacrificium, Parochi vero, cum major populi frequentia est, omnibus diebus festis, clara, distincta, alta voce, et tam lente ut populus respondere possit, recitent Fidei, Spei, Charitatis, et Contritionis formulas diœcesano cathechismo insertas. Parochi vero, et Concionatores quam creberrime populum excitent, ut pro singulari fidei dono, *Deo, qui eos vocavit in admirabile lumen suum,* ut suæ Ecclesiæ participes *adoptionem filiorum reciperent, et essent cohæredes Christi (y)* gratias semper quamplurimas agant: et si quam pro devotione ipsi composuerint, vel aliunde habuerint agendarum formulam gratiarum gentis intellectui accomodatam, postquam cognitam probaverimus, eam memoriter discendam tradant, et quotidie recitandam inculcent.

(*a*, ad Heb. XI. 6. (*b*, I. Joann. V. 4. ad Heb. XIII. 7. et XI. 33. (*c*, ad Col. I. 9. 23. (*d*, Judæ 20. I. Tim. VI. 12. et I. Cor. XIV. 3. (*e*, Matt. XXIV. 24. (*f*, Matt. VII. 16. (*g*; Apoc. XII. 1. (*h*, Gal. I. 8. 9. (*i*, I; Tim. III. 15. (*k*, I. Tim. VI. 20. ad Heb. XIII. 9. (*l*, II. Tim. IV. 3. (*m*, Sess. XXV, de delectu ciborum, jejuniis, et diebus festis. (*n*, S. Leo in anniv. assumpt. suæ. (*o*, Trid. Sess. XXV. de ref. c. II. et Sess. VI. de ref. c. I. (*p*, Act. XII. V. et Eccl. in precibus. (*q*, I. Petri V. 10. (*r*, Matt. XXI. 42. XVI. I. 16. I. Petri II. 4. 5. 7. 8. (*s*, Trid. Sess. XXIV. de ref. c. I. sub finem. (*t*, S. Hylarius. (*u*, S. Leo. (*v*, II. Joann. I. 10. (*x*, ad Heb. V. 1. et Joann. XV. 16. et I. Petri V. 2. (*y*, I. Petri II. 9. ad Gal. IV. 5. ad Rom. VIII. 17.



PARS I. CAPUT II.

De Hæresi, Schismate, Blasphemia, Superstitione, et libris prohibitis

Deus, qui lucem habitat inaccessibilem, locutus est nobis in Filio, qui est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ut credentes in lucem filii lucis simus, et per fidem quæ est in Christo Jesu repromissionem accipiamus æternæ hæreditatis (a). At quam sæpe homines *a concupiscentia sua abstracti atque illecti, diabolo rectori mundi tenebrarum harum,* obsequentes, *dilexerunt tenebras magis quam lucem, et ponentes in cœlum os suum majestatem scrutati sunt, donec oppressi a gloria, et traditi in reprobum sensum,* Sanctissima dogmata, *sicut et Scripturas indocti atque instabiles depravarent ad perditionem (b).* Atque utinam suam tantummodo, dolentes utique super illis, et pro illis orantes, sustineremus! Verum cum *a veritate exciderint,* revelati homines peccati, inobedientes vanique et seductores subvertunt aliorum *fidem,* in ruinæ et damnationis consortium *abducentes discipulos post se (c).* Hinc hæreses, schismata, blasphemiæ, superstitiones, atque illa, seductionis instrumentum, pravorum illuvies librorum qui cum tanta animarum pernicie divulgantur. *Obsecramus ergo vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, et per charitatem Sancti Spiritus,* ut quando per impositionem manuum, *speculatores dati estis domui Israel, et audistis*

de ore Dei verba, timentes eum qui vos *constituit super muros Jerusalem custodes, et Servum a bono opere torpentem damnat, tota die et nocte ne taceatis: si enim locuti non eritis, et impius non avertatur a via sua impia et conversus justus a justitia sua fecerit iniquitatem, sanguis ejus de manu vestra requiretur (d).* Itaque quod primum est, *memores verborum, quæ prædicta sunt ab Apostolis, vosmetipsos in dilectione Dei servate, in Spiritu Sancto orantes pro invicem ut salvemini.* Dein *induti sicut electi Dei viscera misericordiæ si quis præoccupatus fuerit, vos hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, infirmumque in fide assumite,* ut sitis in populo *lux mundi et sal terræ docentes eos servare omnia quæcumque Christus mandavit:* inter quæ est et illud: *si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus (e). Exhibentes* autem *vosmetipsos sicut Dei ministros,* Apostolorum imitatores quos zelus domus Dei comedebat, cum illis induti armaturam Dei, et prudentiam prudentium, quibus verbum Crucis stultitia est reprobantes, prædicate verbum, instate opportune importune; arguite obsecrate increpate *in omni patientia et doctrina (f).* Non vos magnorum phantasmata nominum terreant; non deceptæ quatiat multitudinis judicium; non bonorum jactura, non intentata mors labefactet, dum intactæ in populo Fidei meritum custodiatis: et *scientes cui credidistis,* et certi, quia potens *est depositum vestrum servare in illum diem justus judex, vigilate, state in fide, viriliter agite et confortamini (g).* Ne vos vero in tuto positi videamur in certaminis discrimina projicere, accipite quæ cum Sacris Canonibus, et Provinciali nuper habita Synodo vel memoramus vel præcipimus, quodcumque in nobis erit laborantibus polliciti auxilium. Itaque

1. Mementote hæreses, eorum credentes, receptores, fautores excommunicationi latæ sententiæ reservatæ esse

obnoxios, a qua licet resipiscant, et sustulerint scandala non possunt nisi ab habente in illos facultatem absolvi.

2. Ne illos tantummodo hæreticos judicate, qui alicui e damnatis sectis dederint nomen, sed quotquot, licet se catholicos profiteantur, dogmata ab Ecclesia proposita negant, in dubium revocant, aut irrident. Ideoque hæreticorum pœnis mulctantur (1) qui spiritui privato obsequentes nullo aut ficto erga Ecclesiam obsequio scripturas traditiones, dogmata interpretantur *superba vanitatis loquentes, libertatem promittentes cum ipsi servi sint corruptionis (h)*, et pariter qui philosophi incedunt *de virtutibus et vitiis subtilia multa tractantes, dividentes, definientes, ratiocinationes acutissimas concludentes, libros implentes, suam sapientiam buccis crepantibus ventilantes, qui etiam dicere audent: nos sequimini, sectam nostram tenete (i):* auctoritatem autem Ecclesiæ dissimulant, si procaciter spernere verecundia humana illigati non audent, *pellicientes animas instabiles, maledictionis filii quibus caligo tenebrarum reservatur (k).*

3. Si quem ejusmodi noveritis, *corripite illum ut fratrem;* attamen *hunc notate (l)*, atque e Canonum præscripto ad Nos deferte, ut quibuscunque possimus rationibus ad meliora convertamus, aut saltem a malo ejus contagio gregem servemus. Pariterque si in labantem animo, atque infirmum in fide quem incideritis, *illum* cum omni patientia, et doctrina *salvate ab igne rapientes et miseremini in timore (m):* illumque ad nos non ut ad judicis tribunal, sed ut ad paternæ viscera misericordiæ adducite, ut pro nostro munere, quod Deus adjuvet, in fide confirmemus.

4. Quod de hæreticis, et de schimasticis dicendum qui Christi tunicam inconsutilem, Ecclesiam dilacerant, et caritatis vincula, segregati a fidelibus, solvunt. Scitote autem difficile admodum esse schismaticum fide non aberrare, qui credit se a Sanctæ Matris exulem gremio salvari posse.

5. Non equidem a charitate alieni, nec rigidiores, quam Sacri Canones, videmur esse, si vos et populum ab hæretici, schismatici, increduli consortio abstrahamus. Et noscere ipsi debetis Martini V. Pp. super his rebus constitutionem: attamen cum familiaritas invicem homines componat in similem cogitandi, et vivendi morem, animabus timentes cum sanctis Apostolis, et Provinciali Synodo ab eorum consuetudine deterremus: sit ubique in illos charitas, vitæ communio non intercedat. *Si quis*, ajebat Apostolus, *non obedit verbo nolite quasi inimicum judicare, sed corripite ut fratrem: et hæreticum hominem post unam, et secundam correptionem devita; sciens* (væ misero!) *quia subversus est, cum sit proprio judicio condemnatus (n)*. Itaque (1) ne Catholicus Hebræorum aut Acatholicorum sacris communicet, neque etiam ut cantor vel symphoniarum magister conductus: (2) ne filios in acatholicam disciplinam tradat, aut scholis committat, immiscendos acatholicis: quid proderit si cuncta discant, scientiam vero sanctorum dediscant? (3) Medicos atque obstetrices ex Hæbreis aut acatholicis, non urgente necessitate, Catholici non adhibeant (4). Mulieres hortandæ sunt ne in Hebræorum aut Acatholicorum domibus lactentes suscipiant alendos.

6. Si quis movente Dei misericordia et gratia, in catholicam ingredi Ecclesiam desideret, omnibus hunc juvate viribus, et certiores nos facite, ut et spiritum ejus probemus, si ex Deo sit, et pro munere nostro auxilio veniamus.

7. Proxima hæresi, quin imo sæpe hæresis saltem in causa, qua Deum injustum, malique auctorem, aut quasi vilem ad contumelias designat, blasphemia est, nedum Christiani, sed et hominis probrum impiam cum dæmone linguam consociantis. In quod crimen et ille labitur, qui tantopere a Trid. Synodo reprobatur, et gravissime corripitur, Sessione IV., qui temerario ausu Scripturas ad

profana detorquens divinum violat sacrilegus verbum. Blasphemos ne tam facile absolvatis; quin cavete ne absolvatis si blasphemia hæresis professio sit, cum hæresi enim justis supranominatis pœnis damnatur. Ut invalescenti jam malo, heu calamitas! medeamur, et pubblicas preces pro blasphemorum resipiscentia fieri solitas confirmamus, et pia illa sodalitia ad blasphemias extirpandas instituta, atque a Summo Regnante Pontifice Pio IX. indulgentiis munerata inculcamus. Volumus denique cum Provinciali Synodo ut quotannis, in quavis Parœcia, monito antea populo, Dominica secunda post Epiphaniam, et prima post festum Nativitatis B.M.V. solemnitas celebretur, et concio habeatur, quæ ostendat quam grave, quam indignum, quam damnosum sit crimen blasphemia, atque ita prædicatione et pietate homines a tanto scelere erubescentes deterreantur.

8. Est etiam a fide aversa nimia illa credulitas quæ sacris cum dogmatis commenta vana confundit, ingentium sæpe malorum seges. Neque hanc negligit callidus ille serpens, qui *se transformat in angelum lucis, scientiam pollicitus boni et mali, qua aperiantur oculi nostri, et simus sicut Dii (o).* Antiqua illi, et crebro in usu ars, qua stulta bonorum spe, vel insipienti occultorum, futurorumque investigatione, vel ipso spirituum, mortuorumque evocationis figmento doctos pariter atque indoctos pellexit decepitque, atque ut quondam idololatrarum ritibus, nunc quoque superstitionum fascino, cœli viam affectat ut *sedeat in monte testamenti, et similis Altissimo (p):* Deo debita et ipse in terris suscipiat thura atque obsequia. Avvertite, quæsumus, tantam populo pestem: docete, quam gravis exarserit in talia exercentes ira divina; docete, quæ intercedat superstitioni cum Dæmonis cultu necessitudo. In hac tamen re cavete ne sophistarum irrisiones æquo plus metuentes, vester a fide unquam aberret sermo.

Insuper agite prudenter ne a superstitione populum revocando, rudes animos in incertæ fidei periculum conjiciatis: fortius certe et rectius, gens enim ut plurimum ex ignorantia in superstitionem labitur, hæc mala tolluntur, si de Deo, de Providentia, de Sacramentalibus sanam plebi vestræ sæpe et perspicue tradatis doctrinam. Denique si qua scientiarum experimenta videantur vobis superstitione polluta, Romanæ Sedis oracula edocti, secernite quae ad Physicorum notitiam pertinent, sine damno enim fiunt, ab iis quae miracula imitari contendunt, aut fingunt, et superstitionis, atque impietatis damnantur.

9. Venimus nunc ad instrumenta, quibus capiuntur incauti, pravos scilicet libros. Utinam is esset in Christiano populo zelus, qui fuit quondam in primis illis Ephesiis. qui *cum fuissent curiosa sectati*, suscepta fide, *contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus: et computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium. Ita fortiter crescebat verbum Dei et confirmabatur* (*q*). Atque hoc spectabat Apostolus Timotheo *praecipiens ut denunciaret quibusdam ne intenderent fabulis et genealogiis interminatis, quae quaestiones praestant magis quam aedificationem Dei, quae est in fide, a qua aberrantes conversi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quae loquuntur, neque de quibus affirmant* (*r*). Nonne nostrae calamitatem aetatis deplorare credamus, in quam cum verae fidei vituperatione tanta diffusa est sophismatum copia? Haec autem pravorum librorum proscriptio semper in more fuit Ecclesiae de filiorum salute pro materna caritate sollicitae. Et Concilia malos notavere libros, et Christianum populum ab illis deterruerunt. Quod postea inventis typis, et facta libros edendi facilitate, Tridentini Patres, et Summi Pontifices, certis statutis normis, pro temporum conditione perfecerunt.

10. Nos igitur Ecclesiae praecipienti cum Provinciali Synodo paremus indicentes; (1) ut libros pravos, et qui damno esse possunt, sive illi in indice nominatim proscribantur, sive aliqua ex indicis regula proscribendi sint, a populo amoveatis: parentes quoque moneatis atque obsecretis, ut serio vigilent, ne filii malorum lectione librorum depraventur: (2) ut saepe populum moneatis, ab illis caveat, ne forte aliqui arbitrentur Pontificium vetitum temporalem Romanae ditionis agrum non transcendere. (3) Docete gentem, in latae sententiae excommunicationem incurrere legentes, tenentes, ementes, vendentes libros prohibitos, atque etiam defendentes, qui facile impia hac tutela professionem aliquam haeresis vel schismatis faciunt. Quare *meminerint editores, typographi, bibliopolae, et auctores omnes gravis qua detinentur obligationis nunquam recedendi in libris edendis aut vendendis ab ecclesiasticis praescriptionibus.* (4) Ne vero moralistarum, sana de cetero, doctrina decipiamini poenitentes irrite absolvendo monitum vobis proponimus Romano Indici praemissum: *quod ii fere omnes libri hujusmodi poena* (excommunicationis reservatae) *proscribuntur, qui post* Alexandri VII. *Constitutionem editam die* 5 *Maji ann.* 1664 *brevibus aut bullis Pontificiis prohibiti indicantur, ut ex ipsis brevibus intelligi potest.* (5) Pariter afferimus Clementis Pp. VIII. verba: *qui certa aliqua lingua initio editi, et deinde prohibiti ac damnati a Sede Apostolica sunt, iidem quoque in quamcunque postea vertantur linguam, censentur ab eadem Sede ubique gentium, et sub iisdem poenis interdicti et damnati;* (6) *Bibliorum versiones* (hoc prae oculis id maxime temporis habendum) *vulgari sermone editas nisi fuerint ab Apostolica Sede adoptatae, aut editae cum adnotationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiae Patribus, vel ex doctis Catholicis viris non esse permissas*, S. Congr. Ind. 15 Jan. 1757. (7) Quod de libris

et scriptis idem de imaginibus sentiendum, quae ocyus irritant animos oculis subjectae fidelibus. (8) *Clerici cujuscunque ordinis nullum librum aut scripta quae de Religione aut morum disciplina agunt publici juris facere audeant, nisi prius ab Ordinario, vel, si ex regularibus fuerit, qui secundum ordinis sui Constitutiones Superioribus Generalibus poenes Apostolicam Sedem residentibus subjecti sunt, a Superioribus suis hac de re licentiam rite obtinuerint:* ita Syn. Prov. Laicos vero obsecramus per aeternam ipsorum salutem ne de Religione saltem quidquam evulgent, Episcopi judicium non requirentes: (9) Nostri autem erit Tribunal pro Censura constituere e viris prudentibus et doctis, qui ad normas ab Ecclesia constitutas scripta librosque propositos inspiciant et judicent: (10) praecipimus autem, quod si quis malum quemcunque librum, etiam manuscriptum divulgari cognoverit, ad Nos deferat: in negligentes denunciare, si ad nostram pervenerit notitiam, ut a sacro munere desertores, et perversarum doctrinarum fautores pro sacris Canonibus animadvertemus. (11) Ad vestrum autem commodum, atque in Parochorum, et Confessariorum maxime usum quotannis in Calendario, qui fuerint superiori anno a Sancta Sede prohibiti libri, indicabuntur.

Vos vero maxime qui animarum curam exercetis in re, quaesumus, tanti momenti ne deficite: Indicis regulas legite, ediscite; qui a populo legantur libri cognoscite; malos subducite, subrogate bonos, ne in vestra segete, dormientibus vobis, superseminet tritico furtim zizania homo inimicus.

(*a*, I. ad Tim. VI. 16. ad Heb. I. 1. Joann. I. 9. et XII. 36. ad Gal. III. 26. ad Heb. IX. 15. (*b*, Jac. I. 14. ad Eph. VI. 12. Joann. III. 19. Ps. LXXII. 9

Prov. XXV. 27. ad Rom. I. 28. II. Petri III. 16. (*c*, II. Tim. II. 18. II. Thess. II. 3. ad Tit. I. 10. II. Tim. II. 18. Act. XX. 30. (*d*, ad Rom. XV. 30. Ezech. III. 17. et seqq. Isai. LXII. 6. S. Gregor. in Ezech. loco supr. cit. (*e*, Judæ 17. Jac. V. 16. ad Coloss. III. 12. ad Gal. VI. 1. ad Rom. XIV. 1. Matt. V. 13. 14. et XXVIII. 20. et XVIII. 17. (*f*, II. ad Cor. VI. 4. ad Ephes. VI. 11. I. ad Cor. I. 18. 19. II. Tim. IV. 2. (*g*, II. Tim. I. 12. I. ad Cor. XVI. 13. (*h*, II. Petri II. 18. (*i*, Aug. in Joannem. (*k*, II. Petri *II.* 14. 17. (*l*, *II.* ad Thess. *III.* 15. 14. (*m*, Judæ 22. (*n*, *II.* Thess. *III.* 14. 15. ad Tit. *III.* 10. 11. (*o*, *II.* Cor. *XI.* 14. Gen. *III.* 5. (*p*, Isai. *XIV.* 13. 14. (*q*, Act. *XIX.* 19. 20. (*r*, *I.* Tim. *I.* 3. et seqq.



256

PARS I. CAPUT III.

De Verbi Dei Praedicatione

Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, et requirentibus se remunerator sit, dives in omnes qui invocant illum. Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? Quomodo vero praedicabunt nisi mittantur? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi (*a*). Hisce nos Apostoli sententiis cunctam de divini verbi Praedicatione arbitramur exposuisse doctrinam. Necessitatem enim ejus, et rem, et modos, et praedicantis officia, jura, auctoritatem complectuntur, atque apprime commendant. Namque initio statim gravissimum divini audiendi verbi praeceptum rogat, aeternum a Dei complexu exilium negligentibus interminando: terribiles enim Christi Pharisaeis indignati minas videntur commemorare: *verba Dei propterea vos non auditis quia ex Deo non estis* (*b*). Heu quianam id temporis venimus, quo Christianus cui gloriae, securoque praesidio divina est sapientia, a sancto hujusmodi abhorret praeconio, ut jure cum Propheta atque Apostolo conqueri possimus: *Domine quis credidit auditui nostro?* (*c*). Ast, fratres, ne excidamus animo, oremus et deprecemur, ut qui *potens est ex lapidibus suscitare filios Abrahae Deus* (*d*), excaecatas mentes atque indurata corda mise-

ratus illustret ac emolliat: *Clamemus, ne cessemus, et annunciemus* (e) Sacrosanctae Tridentinae Synodi placitum *monentes populum diligenter teneri unumquemque Parochiae suae interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum Verbum Dei* (f). Quis scit an Deus *qui praedicatores suos sequitur* (g) cooperetur, sermonem confirmet, et terra deserta, et invia, et inaquosa rorante coelo aliquando aperiatur, et germinet?

Itaque ante oculos nobis Sacerdotem ponamus, qui populum suscipit erudiendum, et multiplicem ejus operam consideremus. Hic enim vel parvulis rudibusque Religionis elementa tradit, vel jam tradita simplici modo confirmat, et confirmata in animis altius inscribit; vel pleniori oratione peccantes percellit, cessantes exstimulat, piosque in majora provehit, vel Sanctorum laudes in vitae morumque exemplar proponit, vel errorum tenebras nunc impedit, nunc revelationis lumine dimovet: seu brevibus catechizat, Evangelia Mysteriaque explanat, conciones habet et perorat, paraeneses concinnat, Theologum agit. Non nostri est vos in oratoris disciplina instituere; sit hoc scholae, litterarum studiis, logicaeque praeceptis ad bene dicendum informare. Sed tamen quod rem spectat, de moribus enim sacro Magisterio convenientibus alibi agemus, inspiciamus.

De Catechesi

Primum illud est Christianos ab incunabulis sacro formare instituto: *adolescens enim juxta viam suam etiam cum senuerit non recedet ab ea:* quin si declinet concupiscentiis abstractus, *in se reversus dicet surgam et*

ibo ad patrem meum et gaudium erit in coelo super peccatore poenitentiam agente (*h*). Quare mirum Sacerdotibus, et maxime Parochis non erit si Ecclesia filios in Divina Benedictione nutrire desiderans, jubet Episcopos *curare saltem Dominicis, et aliis festis diebus, pueros in singulis Parochiis fidei rudimenta, et obedientiam erga Deum et parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri; et si opus sit etiam per censuras Ecclesiasticas compellant, non obstantibus privilegiis et consuetudinibus* (*i*). Hoc itaque, Tridentino Provinciali cum Synodo obedientes, omnibus curam animarum quomodocunque gerentibus, et Nos praecipimus, et qui neglexerint, quod Deus avertat, pro sacris Canonibus in eos animadvertemus. Quoniam vero in plerisque Parochiis populus ita est dispersus, ut impossibile sit pueros ad matricem ea, qua oportet, convenire frequentia Christianam percepturi doctrinam, ne illis deficiamus, Provinciali cum Synodo volumus, ut Sacerdotes, quocunque nomine in dissitis locis populi parti praepositi, pueros sive in pagi Ecclesia, sive aliquo in oratorio sanctis hisce pabulis nutriant, salva tamen solemnitatum, Catechismi, et praedicationis in Parochialibus hora, sublato quocunque Parochialis juris, aut consuetudinis praetextu. Quod et praedecessor noster Andreas Minucci in sua Synodo caverat, facta tamen Parochis facultate, impositoque onere, quod et nos confirmamus, *ut per annum quandoque filiales Ecclesias in quibus instructio habetur visitent et de profectu cognoscant* (*k*). Quis Parochorum, cum ipse non possit adducere, per alium prohibeat pueros ad Christum venire? Paulum sibi proponat exemplar, qui licet *quidam ex contentione Christum annunciarent non sincere, existimantes pressuram se suscitare vinculis suis, dum omni modo sive per occasionem, sive per veritatem Christus annunciaretur, gaudebat, et se gavisurum pollicebatur* (*l*). Et pariter cum

Provinciali Synodo Sacerdotes in tam praeclarum opus Parochis auxilio vocamus: obliviscentur ne illi *se lucernas non positas sub modio, sed super candelabrum ut luceant omnibus, qui in domo sunt?* Terreat illos divina querela: *parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis* (*m*). Si muneris taedet, manuum impositionem declinare debuerant, non enim Nos pro nostro officio eorum sustinebimus negligentiam. Ceteros autem Clericos, quos Sacerdotali assuefieri curae, et vocationem probare decet, monemus, quod si Parochos pro suis viribus juvare recusent, cum Feltrensi ultima Synodo *ad suscipiendos Ordines non admittemus* (*n*), quin etiam obstinatos, si in minoribus sint, e Clero ejiciemus. Quare Sacerdos Ecclesiae praepositus, accitis etiam, si deficiant Clerici, auxilio laicis probis et prudentibus, ipsi cognitis, curabit ut catechismum, qui juxta Provincialem Synodum Pontificum sententias secutam erit in posterum Ven. Card. Bellarmini, pueri memoriter discant. Quo systemate ac modo per appositum Decretum definiemus. Dato huic operi tempore convenienti, Sacerdos pueris in unum collectis, masculi tamen sint a puellis segregati, catechismi capita, quo sunt ordine disposita, vulgari sermone explanet, atque interrogando, et sanctorum exempla interserendo, teneras mentes foveat, excitet, suscitet, et cerea pectora amore virtutis inflammet. Solent plerique puerorum institutionem parvi pendere, et rem cuique facilem credere; non ita summus ille Chrysostomus: *quid majus quam adolescentulorum fingere mores? omni certe statuario, ceterisque hujusmodi omnibus excellentiorem hunc duco, qui juvenum animos fingere non ignoret* (*o*). Oportet enim hunc tam scite callere doctrinam, ut illam quibuscunque aptis pro puerorum ingenio formis tradat; eaque esse praeditum indole ut illorum induat mores, atque una balbutiens fiat quasi unus ex illis, exemplo

360

Pauli ad Thessalonicenses scribentis: *facti sumus parvuli in medio vestrum, tamquam si nutrix foveat filios suos* (*p*). Res equidem imparato difficilis, fortasse et asperrima. Verum si taedio quandoque fiat, sit recreationi et calcari charitas Christi, *qui pueros complexans, et imponens manus super illos benedicebat eos* (*q*), et spes futurae generationis, cujus mores satis laetam dabunt mercedem.

Praeter hanc vero communem est et illa puerorum, qui ad Confirmationis, Eucharistiae, Poenitentiae Sacramenta disponuntur, institutio. Non levis neque dissimulanda res, quin imo digna, quae summis geratur curis; a prima enim Sacramentorum hujusmodi susceptione, totius fortasse vitae sanctitas, aeternaque pendet salus. Per viscera misericordiae Dei nostri hortamur vos Sacerdotes, quibus sublime hoc puerorum ad gratiam parandorum munus committitur, ut ne inscientes, vel male institutos, vana futurae institutionis spe, ad Sacramenta admittatis; atque ut in docendo convenientia tempora insumatis prout occasio et Parochiae favet consuetudo. Ne vero in tam gravi peccetis negotio, mementote nullum, qui rationis usum attigerit, posse ad Sacramenta accedere, nisi illa noverit quae necessitate vel medii vel praecepti requiruntur. Quare ne definitione, effectuque suscipiendi Sacramenti, et dispositionum in suscipiente necessariarum expositione contenti sitis; e contra sit haec vestra institutio quasi totius Christianae doctrinae compendium. Quod rure magis etiam urget: rustici enim saepissime conditione impediuntur, ne in posterum tam frequenter Catechesibus adsint. Quot heu Sacramenta, si non sacrilege, certe in vanum suscepta ex hujusce rei negligentia! Clamant perditae in Sacerdotem animae: vindica, Domine, sanguinem nostrum, et redemptionis pretium pro nobis frustra solutum. Monemus insuper, ut severiores sitis in admittendis ad Sacramenta foeminis, has

enim eruditiores esse oportet, quippe quae futurae sunt matres familias, et filiorum ut nutrimini primo, sic primae quoque a natura destinatae sunt educationi: ex iisque saepissime puerorum pendet potissima in juvenili aetate Christiana institutio.

Post pueros edocendos est et adultos catechizare, ut ne accepta dediscant, et renovata rerum memoria in majorem semper scientiam, virtutemque proficiant. Quam saepe enim oves irriguis Sodomorum et Gomorrhae pratis, ut hortus Domini, florentibus, illectae salubria obliviscuntur pascua, et bonis commista graminibus pastae aconita in montem refugiunt ascendere, ubi folium vitae, et salus apposita est! Quam saepe dum securae ignava potant oblivia, in latentem incidunt anguem, et morbo sauciae lethifero pereunt! Ne, quaesumus, acquiescite, divini pastores gregis, et ne nimium creduli aeternam sperate plebis esse vestrae memoriam. Ad vos dictum est *esto vigilans et confirma quae moritura erant* (*r*). Vestrum est fortes armatosque vineam sepire, custodire, et colere ut uvas afferat, ne fur eripiat; vestrum est semen quod sparsistis in bonam frugem, maturosque fructus educere, sollicite curantes ne superveniat inimicus homo et frumentum mala contaminet zizania. Damna enim tunc evenerunt *cum negligentius agerent praepositi Ecclesiae* (*s*). Omnis quanta est Christianae institutio doctrinae, dogmata, Mysteria, ritus Catechesi huic est commissa, ut facili sermone, ratiocinatione vulgari, Sanctorumque exemplis populus excitetur ad ruminanda monita, et praecepta, ad integritatem sive servandam, sive recuperandam, ac pietatem omnimode colendam. Ne multis vos modo moremur legite Tridentini jussa Sess. V. Cap. II. de Ref., Sess. XXIV. Cap. VII., Sess. XXII. de observandis in celebratione Missae et Cap. VIII. de sacrificio Missae. Quam multa, quam praeclara reperietis quae vos instruent ut

Christi legatione rite fideliterque functi, et magnam e gentis moribus consolationem, et immensam in coelis a Deo mercedem consequi possitis.

De Evangelii et Mysteriorum explanatione

Haec licet, quae hucusque tractavimus, frequentem atque opportunam dicendi, excitandi, corripiendi populi, si Christianae scientiae peritus et Dei zelo fervens sit Pastor, et prudenter docere noverit, occasionem praebeant, non tamen in his sibi Sacerdos loquendi finem imponat. Sunt enim alia, quae debeat in eumdem suae plebi finem, vulgo dicta Parochiales sermones, vel homiliae, usitatissima Patribus ratio, et cum fieri soleant inter Missarum solemnia post Evangelium, Evangelii explicatio nuncupantur. Hic dicendi modus Catechesi est affinis, sed tamen vividior assurgit, et quandoque omnem etiam perorandi vehementiam concipit, ut videre est in Patrum scriptis, optimi fere semper eloquii sacerdotalis exemplaribus. Quaenam circa haec Parochorum obligatio, quae tractanda materies Tridentina Synodus edocet: inter enim missarum solemnia Parochis praecipit, ut per se nisi legitimo detineantur impedimento, tunc enim per idoneum tenentur suo satisfacere officio, vernacula lingua sacra eloquia, et salutis monita explanent, praedicent Evangelium, sacras Scripturas et divinam legem annuncient, et frequenter inter Missarum celebrationem ex iis quae in missa leguntur aliquid exponant, saltem omnibus diebus dominicis et festis. Consulite Sessionem XXIV. Cap. VII. de ref., Sess. V. de ref. Cap. II., Sess. XXIV. Cap. IV. de ref., et Sess. XXII. Cap. VII. de sacrificio Missae. Quam varia, quam foecunda seges si recta est vo-

luntas, ovesque commissas pastorali charitate pascere sit desiderium! Verum et commoda res. Cum enim Missa, atque Evangelium, inter ejus solemnia lectum, multa et diversa complectantur, unitatem a sermocinante non requirunt, atque ideo, si sapiat pastor, cuncta sufficiunt, quae ad omnem populi eruditionem conducunt, atque in gratiae et virtutis emolumenta usuveniunt: ita ut, modo cultura studiumque adsit, atque oves ut proprias consideretis, innumera et fortasse majora, quam praedicatione illa solemniore atque expolitiore, bona consequi possitis. Qui vero dicendi modus eadem sacrosancta Synodus indicavit; ait enim *ii quibus animarum cura commissa est in judicio et veritate pascant* (*t*). Sit verbum scilicet sanum, irreprehensibile; sit perspicuum ut omnes intelligant, sit prudens ut vitium reprehendat, personas non designet; animarum salutem requirens, non partibus aut irae favens, lingua prolatum ad grammaticam utique composita, sed populi captui accomodata. Vividus ferveat sermo, sed gravis, qui divina deceat mysteria; subtiliora vitet, discenda proponat. Scimus rem difficilem commendasse; non enim ex iis eritis qui ad rudem verba facientes populum consuetudini parent, et quomodocunque dixerint, se satis facere arbitrantur: considerent illi animarum, quas produnt, jacturam, et judicium Dei illas ex eorum manibus requirentis: vos magisterii dignitatem formidantes, pro suo quisque modulo, optima operari conamini, et studio dediti, sine intermissione laborantes, rogate Deum ut, dum ipsi planctatis et rigatis, det sua benignitate incrementum.

De Concionibus et Paraenesibus

Ad eam divini verbi promulgationem accedimus, propter quam maxime dictum est: *quam speciosi pedes evangelizantis, et praedicantis pacem, annunciantis bonum, praedicantis salutem, dicentis: Sion regnabit Deus tuus! vox speculatorum tuorum! Dominus enim dabit verbum Evangelizantibus virtute multa.* De ea psallebant: *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia, quae intonans super aquas multas, imperavit ventis et mari, et facta tranquillitate magna, fecit ut in coelis oriretur lumen indeficiens, et terra maledicta in operibus nostris, dante Domino benignitatem, daret fructum suum: quare cogitatio hominis confessa est Deo, et dixit: nunc coepi, haec mutatio dexterae excelsi* (*u*). Verum quod jam initio monuimus, qui evangelizat meminerit quod *Dominus designavit quos misit in omnem civitatem et locum quo erat ipse venturus, et dedit illis potestatem super omnen virtutem inimici, promittens Spiritum Sanctum qui doceret eos, et suggereret illis omnia,* non nova aliqua atque inaudita, sed *quaecumque ipse dixisset, ut accepta ejus supervenientis virtute, essent illi testes usque ad ultimum terrae* (*v*). Si ipse misit, ergo *ne quisquam sumat sibi honorem, sed qui vocatur:* si testes sunt Christi, sint *cum Apostolis gloria Dei:* si missi sunt in legationem Christi, *exhibeant se Dei ministros in verbo veritatis:* si ad populos missi sunt parare viam Christo, *charitas Christi urgeat eos, et si diligunt Christum pascant oves ejus, spontanee secundum Deum neque turpis lucri gratia, sed forma facti gregis ex animo* (*x*). Ex quibus sive praedicationis laudibus, sive monitis manifesto patet quam magna res sit, quam trepido corde suscipienda. Si Propheta ab ipso vocatus Domino metuens praetendebat excusationi pueritiam suam balbutientem; si electo illi Isai-

ae ut digne diceret ignito Angelus mundavit labia calculo, quis temere tantum subeat onus, et se dignum existimet Dei praeconem? Laudamus equidem, si quis deficiente Evangelicae cohortis copia, *audiens vocem Domini dicentis quem mittam, et quis ibit nobis?* cum Isaia dicat: *ecce ego mitte me* (*y*)*:* verum si puro corde, si recta mente, si voluntate sancta, si Apostolicae assuetus simplicitati, si fidei morumque doctrinis excultus, se, quasi ad sacrificii oblationem, hilaris offerat. Si vero sibi fidens, si docti elegantisque nomen affectans, si lucro inhians, si populi non salutem sed gratiam quaerens, non Deo apostolum poscenti, sed sibi suae gloriae auctorem, fallaci deceptus spiritu se exhibeat, ah quaesumus, ab audacia deterreatur, ne divino se ministerio per sacrilegium miserrime perdat. Non haec nos austeriores, quam par sit, dicimus; ut enim de clerico, qui populo magister exsurgat, qualis moribus esse oporteat, dicere modo praetermittamus, et pariter de divina gratia sine qua nihil sancti possibile nobis est, et quam assiduis debemus implorare precibus, sileamus: ipsa haec Evangelizandi ratio admodum difficilis, et periculi plena est. Illa enim omnem quanta est religionis scientiam complectitur, et sive divinae gratiae sive concupiscentiae operum cognitionem: et qui ab innocentia ad culpam sit lapsus, quique a culpa ad innocentiam reditus; quae moveant animos, quae deterreant, quae suscitent ab oratore requirit. Insuper, et magnam postulat dicendi recte consuetudinem, ut orator verbis gravis, amplificatione mirandus aculeos omnes sciat orationis intendere, ut auctoritate, ratiocinatione dominetur in auditorem, eoque illum vel ducat, vel trahat, vel impellat, ut quae prius jucunda quaerebat respuat, quae antea fugiebat inquirat, atque in novum se hominem secundum Jesu Christi formam confingat. Nonne hoc Apostoli fecerunt, nostra exemplaria, nonne Patres,

nonne omnes qui e peccatorum contritione aeternae meritum gloriae in coelis, et nomen in terris comparavere Sanctorum? Videtis igitur quam vasta proponitur seges, mysteria fidei sua dignitate explananda, atque ad charitatis objectum deducenda; divinam legem, promissa, minasque nobili, acri, suavi tractandas sermone sumitis, ut peccator vere resipiscat, justus alacriori cursu justificetur adhuc. Insuper ita justitia infinita cum misericordia infinita conjungenda est ne desperatione, vel praesumptione animae incaute perterreantur aut insolescant: divinae providentiae ordo sic exponendus est, ut afflicti spe recreentur, gaudentes timore salutari ab imprudentia temperent: mundi contemptus, scelestorum fuga inculcanda; verum praecepta charitate sunt moderanda, ut ne zelus acerbitate mordeat, et charitatis comitas in morum fideique jacturam excedat. Denique Sanctorum exempla, quasi vitae ducatum, proponenda, ut discat auditor, sancto excitatus ausu, voluptates spernere, tolerare dolores, ad illorumque rationem in perfectam contendere sanctitatem. Quam gravia proponuntur, quam ardua! Sed et illud non minoris faciendum, quod periculi plena sunt. Praedicator est utique Christi minister, sed tamen homo, *et ipse circumdatus infirmitate* (z); eapropter non absurdum erit timere ne dum sibi Dei zelo videtur fervidus, superbiae typho concitetur. Facile est ut gloriam quaerat, laudem sectetur atque illa Pauli verba oblitus *sapientibus et insipientibus debitor sum, virtus enim Dei omni credenti*, doctos respiciat, plebem flocci faciat, *veniat in sublimitate sermonis, aut sapientiae*, populo attonito utilia subtrahat, quin imo ut plausu excipiatur, erubescat Evangelium, invalescentibus indulgeat opinionum commentis, peregrinas aucupet doctrinas, emolliensque legem loquatur placentia *petentibus sapientiam hujus saeculi, et principum hujus saeculi qui destruuntur* (aa). Quare elegantes utique sitis,

ea tamen elegantia, quae non obruat doctrinam: sitis acuti, fortesque in ratiocinando, dummodo subtilitas populi captum non transcendat, sunt enim haec scholae reservanda non pulpito. Quaestiones cum incredulis devitate, ne absentes impugnando, praesentes labefactetis. Si palmam ex hac pugna quaeritis, illustribus validisque argumentis veritatem confirmate, et divinam populus edoctus scientiam horrebit errores. Sanctorum exemplis, ac monitis fidem legemque explanate; jucundior sermo utiliorque fiet vester. Panegyrici vero non ad pompam, aut inutilem virtutis admirationem, verum ad Evangelii normas Sanctorum opera exornantes, et sic Doctrinam in animis altius infigentes nova erunt sanctissimae institutionis argumenta.

Novimus equidem aliquam perfectionis speciem proposuisse, a qua maxima oratorum pars longissime absit: verum non absonum proposuisse, ut ad Apostolatum anhelantes, omnem animi suscitetis vim, ut quo propius, Deo juvante, accedere detur, pro animarum aedificatione, aeternaque vestra salute contendatis. Quo facilius, hoc ut eveniat, assequamur, Provincialis Synodi Decreta afferimus et jure nobis a Tridentina Synodo dato utentes etiam statuimus:

I. *Sciant omnes nemini licere verbum Dei praedicare sine legitima missione, itaque sine Episcopi licentia nemo praedicare audeat.* Parte I. Cap. III. Itaque neque Parochi ad praedicandum quemquam assumant Nobis insciis vel non probantibus.

II. *Nemini dabitur praedicandi facultas qui saltem non sit Diaconus et pietate praestans, et doctrinae testimonium coram Episcopo praebuerit.* Ibidem. Itaque quicumque praedicaturus advocabitur, scientiam suam modumque praedicationis nota nobis faciat, ut videre possimus probandus ne sit an rejiciendus. A nobis praedi-

candi facultas in hac nostra Dioecesi facienda est, non ab aliis. Conc. Trid. Sess. V. Cap. II. de refor. et Sess. XXIV. Cap. IV. de reform.

III. *In qualibet Dioecesi designentur nonnulli pii doctique Sacerdotes qui sacrae praedicationi invigilent, et cum Episcopo consilia sua communicent.* Ibid. Hoc qua ratione, et quo tempore videbitur praestabimus.

Cum vero ad supremam hujus praedicationis formam, licet et ad Catechismum descendant, sive peccatorum conversione, sive pietatis resuscitatae ardore, pertineant spiritualia exercitia et Missiones, de quarum laudibus ne Benedicti PP. XIV., et Pii PP. IX. verba recitemus, aut Episcoporum, Theologorumque monita encomiaque recordemur, satis abunde perversi homines atque increduli, qui caeteras divini verbi rationes quandoque tolerant, in hanc invehunt, atque impedire conantur, infernali suo odio loquuntur. Haec suis et Ministris et rebus tessera a Christo est posita: *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret, quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo; propterea odit vos mundus. Omnis enim qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus* (*bb*). Quid clarius? quid luculentius? Exercitiis spiritualibus et Missionibus, vitia comprimuntur, mentes elevantur, virtutes florent: ecce odium in Missiones et Missionarios.

Itaque Missiones, et spiritualia Exercitia, ut habeantur hortamur, atque opportuno tempore etiam indicemus. Verum ne quis Parochus, nobis insciis, Missionarios invitet, et Missiones fieri in sua Paroecia velit. Nostrum est enim invigilare, sicut et Provincialis Synodus jubet, Parte Secunda de Exercitiis spiritualibus, *ut in iis nihil absonum appareat, nihil quod turpe lucrum sapiat, nihil quod gravitate Religionis haud congruat, ne irreli-*

giosis hominibus aut calumniandae aut irridendae Religionis ansa praebeatur. Cum vero Provincialis Synodus eodem loco citato *hortetur Episcopos, ut juxta uniuscujusque Dioeceseos necessitates, aut generales pro Dioecesi aut particulares pro aliquibus Paroeciis vel exercitia, vel missiones identidem indicant,* jubemus Parochos patefacere nobis sui gregis necessitates (videant tamen ne huic officio satisfacientes sacramentali cognitione utantur, quod etiam si nil de privatis dicatur, semper est nefas) ut Missionarios edocere possimus, quae magis profutura sint ad populi aedificationem. Quod etiam ipsi praestabunt, sive quadragesimali tempore, sive missionum occasione, ut sacer Orator, populum, quem alloquitur, non extraneos et longinquos corrigere inutiliter videatur. Cum autem vetamus Parochos nobis inconsultis Missiones habere, concedimus ut in Paroeciae solemnibus vocent aliquem e Nostris e Missionum Congregatione Presbyteris ad Panegyricum vel Sermonem recitandum.

Quo commodius Missiones fiant, Sacerdotum Congregatio instituta est; ex officio nostro, et Synodi Provincialis exhortatione *(ibidem)* excitati, quotquot sunt qui zelo flagrant, et viribus valent, per Christi viscera vocamus, ut pio coetui nomen dent, et parati sint cum illis ceterarum Dioecesium unum corpus in charitate efficere, ut et nos juvent extranei, extraneosque sancta vice juvemus.

De Canonico Theologo

Quae jura Canonicum Theologum distinguant, satis patet e Canonistis et Tridentino Concilio. De ejus officio quae Provincialis edicit Synodus recitare sat est. Illa itaque sic Parte II. de Canonicis » Theologus in exponen-

» da, et interpretanda sacra Scriptura sedulam operam » ponet, neque normam ab abusibus sumat, si qui forte » irrepserint, sed ab Ecclesiae mente in sacrae Scripturae » lectione instituenda (Conc. Trid. Sess. V. de ref. C. I.) » et memor sit verborum D. Pauli, quod omnis Scriptu- » ra divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad argu- » endum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia » (2. Tim. III. 16.) Itaque sacra Scriptura illi arma » sufficiet ad errorum monstra profliganda, eaque prae- » sertim quae cum tanto societatis damno nostris tem- » poribus grassantur, cujusmodi sunt Rationalismus, Na- » turalismus, Indifferentismus, et praecipue cujuslibet » auctoritatis contemptus. In haec igitur vitiorum mon- » stra sua praecipua tela conjiciat Theologus, et catho- » licas veritates omni argumentorum pondere confirmet. » Quod facilius praestabit si ob oculos habeat SS. D. N. » Pii IX. encyclicam *Nostis* ad Archiepiscopos et Epi- » scopos Italiae 8 Decembris 1854, in qua ipse praeci- » pua deflet Fidei impedimenta, quibus miserrime nunc » temporis divexatur Italia, eisque singulis obviantia sug- » gerit medicamenta. »

Itaque Theologi proprium, Clerum populumque docte et scite in scripturis instituere, ad Ecclesiae mentem interpretando verba inspirata, atque inde fidei morumque normas deducere, et confirmare, ne error mentes inficiat, neque seductores doctrinae specie pervertant. Noverit tamen non posse pro suo munere moralia apposite tractare, nisi recta a sacro textu deriventur; non enim ille orator concionem habens, verum magister discipulos piam ad eruditionem instituturus. Meminerit pariter se Sacerdotem pro animarum salute constitutum, ne eruditione, et litteraria bibliorum exegesi superbiens, scientiam inducat quae inflat, Ecclesiam Christi docentis aulam in vanam convertat doctrinae suae ostentationem.

Legat vero, et mature perpendat quae sibi praecipit, Spiritu Sancto edocta, Ecclesia in Trid. Sess. XXIV. Cap. VII. de reform. et XXV. de Purgatorio.

Monemus autem e Trid. Sess. XXV. de invocatione Sanctorum etc. sub finem, *nulla nova admittenda esse miracula nisi recognoscente et approbante Episcopo.* Quare si qua mira eveniant, si qua libri narrent, sed tamen non a sancta Sede, vel saltem Episcopis probata, ne quis sive ille Parochus, sive Theologus, sive quomodocumque Cathechista vel Concionator divulgare sub miraculi fide audeat, et praedecessoris Nostri Petri Mariae Suarez decreta in Synodo habita Capite de Sacris Imaginibus innovantes: *hujusmodi miraculorum editionem, et multo magis praedicationem sub poenis in transgressores arbitrio nostro infligendis interdicimus.* Quod vero ad miracula nondum Canonizatorum, silentium fiat donec Summus Pontifex definierit, ex Const. Urbani PP. VIII. *Sanctissimus* sub poenis in ea recensitis.

(*a*, ad Heb. XI. 6, ad Rom. X. 12. 16. (*b*, Joann. VIII. 47. (*c*, ad Rom. X. 16. (*d*, Luc. III. 8. (*e*, Isai. LVIII. 1. (*f*, Sess. XXIV. Cap. IV. de ref. (*g*, Greg. in Evang. (*h*, Prov. XXII. 6, Luc. XV. 17. 18. 7. (*i*, Conc. Trid. Sess. XXIV. Cap. 4. de ref. (*k*, Pars I. Cap. 11. de Doctr. Chr. (*l*, ad Phil. I. 17. 18. (*m*, Matt. V. 15. Thr. IV. 4. (*n*, Syn. Minucci P. I. C. II. de Doctr. Chr. (*o*, Hom. 60. in Matt. (*p*, I. ad Thess. II. 7. (*q*, Marc. X. 16. (*r*, Apoc. III. 2. (*s*, Aug. vide Hom. Dom. V. post Epiph. (*t*, Sess. XXIII. Cap. 1. de refer. (*u*, ad Rom. X. 15, Is. LII. 7. 8, Ps. LXVII. 12, XXVIII. 3. 4, Matt. VIII. 26, Eccl. XXIV. 6, Gen. III. 17, Ps. LXXXIV. 13, Ps. LXXV. 11, et LXXVI. 11. (*v*, Luc. X. 1. et 19, Joann. XIV. 26, Act. I. 8. (*x*, Heb. V. 4, Conc. Tr. Sess. VII, Can. X. de Sacram, II. ad Cor. VIII. 23, II. ad Cor. VI. 4. 7, et V. 14, Joann. XXI. 16. 17, I. Petr. V. 2. 3. (*y*, Is. VI. 8. (*z*, Heb. V. 2. (*aa*, ad Rom. I. 14. 16, I. Cor. II. 1, et II. 6. (*bb*, S. Joann. XV. 18. 19. III. 20.

PARS I. CAPUT IV.

De Templis, Oratoriis, et Coemeteriis

Dum tot adversis, in mortis hujus, quae vita dicitur, carcere afflicti, misere insaturabilibus agitati desideriis, *confitemur, quia peregrini atque hospites super terram non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus coelestem illam Jerusalem*, ubi remotis speculis atque aenigmatibus, *videbimus facie ad faciem, sicuti est, Deum et similes ei erimus* (*a*)*:* factum est ut misericors Deus *consolari nos cupiens in omni tribulatione nostra, et abstergere omnem lacrimam ab oculis nostris, tracturus nos in vinculis charitatis, tabernaculum suum, cujus participatio ejus in idipsum, poneret cum hominibus, ut ipsi populus ejus, et ipse Deus cum eis eorum Deus sit* (*b*). Ecce vobis templum, ecce illa in terris aula Dei, de qua cecinit Psaltes: *suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui*, et de qua scriptum est: *pavete ad Sanctuarium meum* (*c*), docente scilicet Spiritu Sancto ea in terris loca esse templa, ubi Deus omnium auctor, qui omnia continet, cui manifesta sunt omnia, et qui recte de omnibus judicat, thronum suum collocavit, ut hominum oblationibus et sacrificiis sicuti Dominus honoraretur, atque interim pater qui est in medio filiorum habitans nostras exciperet preces, dolores leniret, et pro suae visceribus charitatis, omnibus nostris consuleret necessi-

tatibus. Quibus instituti doctrinis, et patrum nostrorum, et primaevae Christianae gentis exemplo excitati, cujus et sensa, et devotionis opera Joannes in Apocalipsi graphice crebro expressit, templa ingredientes eam pietatem afferamus, quae ostendat Dei pariter Patris, et judicis nos revereri praesentiam, atque a suis tantummodum nos bona omnia expectare miserationibus. Quare vos nunquam excitare cessabimus, Sacerdotes in ministerii sortem vocati et populo in bonum positi duces, ut *diligatis decorem domus Dei, et locum habitationis gloriae ejus* (*d*), et ne charitate tepidi, commissae genti causam scandali, ut Heli filii, praebeatis, vel terrena in coelestibus requirentes a propheta quod despexistis et polluistis templum et mensam Domini reprehendamini (*e*). Itaque curate ne quid in templo fiat quod vos avaritiae accuset, ne quid in vobis appareat, quod negligentiam, et non summam sacrorum arguat existimationem, ne quid sordescat, ne quid pietatis taedium ostendat. Templum est Domini cui sancti estis, amate illud, illud honestate, et summopere ad devotionem compositi veneramini. Videat vos populus, et vobiscum eo veniet ad Christum afferens pietatis suae pysticum pretiosum unguentum, et vestro cum merito, et gaudio suavissimis replebitur odoribus domus. Hoc si animo sitis, aequiora et faciliora quae sacri Canones, et Provincialis Synodus et Nos cum illis ad templi honorem usumque praecipimus, judicabitis, atque alacriores spontanee non coacte ad implenda illa aggrediemini.

Atque ut illico dicere facienda incipiamus: cavete, ne scandala a populo proveniant; itaque primo curate ne prope templa cauponae sint; atque ut solemnitatum occasione, quod fit, cum sacrorum perturbatione et gentis ab Ecclesia distractione ibi ludrica et mercimonia fiant. Impediat autem praedicatio vestra in Ecclesiis vana colloquia, et cum Apostolo Paulo, et sacris legibus indicite

foeminis, ut velato capite sanctum Domini ingrediantur, et ne vultu, oculis, ornatu adorationem Deo debitam sub ipso Dei throno ad suam aliorumque incitandam concupiscentiam imprudentes impudentesque captare studeant (*f*).

Loci sancti nitor, altarium decus, indumentorum mundities sit vobis curae, et ne nimio plus aedituis fidite: vos enim assumpti estis in ministerium, illi dati subsidio. Quos a populo honores habeat templum a Sacerdote neglectum? Volumus, et praecipimus ut in quavis Sacristia Sacerdotes adscripti habeant suos amictus, et sua purificatoria, atque insuper ut adsint mundi et recentes a lixivia amictus, et pariter munda purificatoria pro quovis Sacerdote, qui in eam Ecclesiam celebraturus advenerit.

Mementote sacra tanto devotionis affectu esse peragenda, ut de pleno pectore in exteriorem incessum pro aedificatione manet. Ne, quaesumus, officio satisfecisse vobis videamini, si hora et numero sacrorum servatis festinanter et cum taedio operemini: *maledictus* enim *qui facit opus Dei fraudulenter* (g): verum ad Caeremoniarum Ecclesiasticarum jussa omnia graviter, et devote fiant. Qua super re, de ritibus enim alibi, hoc praecipimus cum Provinciali Synodo Conciliorum secuta Canones (*h*), ne musice, quae de canticis debet resonare Sion, a theatris deducta, hystrionumque imitata modulationes fidelium animos cum devotionis jactura, et fortasse cum cordis depravatione in prophana distrahat, atque ad scenicorum memoriam abducat. Ad invalescentis hujusmodi scandali remedium censores dabimus: atque interim Clericos in sono et cantu erudiendos curabimus. Ecclesiasticae vero melodiae studium, coelestem illam beatae Jerusalem in terra psalmodiam imitantis, absolute illis praecipimus, negligentes ad superiores ordines non admoturi.

Pleraque vero sunt in Ecclesiis servanda quae breviter indicabimus. Primo, cum nobiles divitesque domi suae sacra fieri cupiunt, sciant nisi ab Apostolica Sede indultum sit, nulli licere privato in loco celebrare, atque etiam si ab illa detur, nisi deputatus sacro locus, cuncta, quae ad rituum praecepta sunt necessaria habeat convenienter atque apte; et denique non esse loca illa a nostris exempta visitationibus. Sciant insuper summa veneratione habendum esse locum ad sacra designatum, profanis omnibus interdictum usibus. Ne autem privilegio freti et devotione ducti in illicita trasgrediantur, Apostolici Brevis verba et domi dominus et Sacerdotes celebraturi perpendant.

Secundo: Pubblicae Ecclesiae, quae jam erectae et dedicatae sunt, omni cura tales serventur, quae devotionem foveant. Itaque sartae tectae ut sint curabunt Sacerdotes atque aediles: sordibus saepe expurgentur, parietes naviter, et fornix seu lacunar pulvere, atque aracnearum velis abstergantur. Removeantur ea omnia quae in ministerii usum non conducunt : si vero ad aliqua opera adhiberi aliquando debeant , completo opere templo efferantur. Altaria suas habeant tres mappas, quarum superior latera utrinque pavimento tenus obtegat: sit in illis consecratus integerque lapis ad sacrificium cerata obductus tela: Crux cum Crucifixi imagine emineat inter duo candelabra in quibus candelae cereae pro Missae oblatione, spithama non breviores, stent atque accendantur. Post aram sit aliqua picta imago vel signum alicujus Sancti: ad altare per gradus ascendatur. Adsit etiam tintinnabulum pulsandum inter Missarum solemnia sub Eucharistiae elevationem. Suggestus ita sit collocatus ut orator a populo audiri possit; a parte autem nobiliori habeat Crucifixi Jesu sacram imaginem.

Subsellia disposita ita sint ut ne confusio devotionem

tollens oriatur: sine venia a Nobis data nulli liceat proprium sibi ponere subsellium. Ad populi Sacramenta petentis commodum parata sint etiam Confessionalia ita posita et constructa, ut poenitens pariter, et Sacerdos libere colloquantur, remoto frangendi Sigilli periculo, et timore: sint tamen patentia ne quid suspicionis inuri possit. Ad Ecclesiae latus sit Sacristia suis armariis instructa, atque abacis ad servandas vestes et vasa Ministerii, atque ad parandos in sacra ministeria Sacerdotes. Sit ibi etiam labrum pro lotione manuum a ritu ante Missam prescripta.

Oportet et turrim erectam esse ubi nolae benedictae pulsentur ad populi convocationem: quas solum benedictas, atque ad sacros usus adhiberi licet, nisi aliqua urgeat necessitas. Sciant vero Parochi, Sacerdotes Ecclesiis praepositi, AEdiles pariter nullam in templis fieri debere mutationem sine facultate a Nobis qualibet vice petenda atque ideo neque imagines, quod et Trid. Sess. XXV. De invocatione Sanctorum vetuit, Nobis non annuentibus licere in templo poni: atque etiam laicum a quocunque advocatum vetari concionem ibi habere.

Multa alia dicenda hic essent: verum praetermittimus, quia et Missalis Romani Decreta, et Caeremonialis jussa nota vobis esse judicamus.

Templa vetustate labefacta, et collabentia sine patrono, sine dote, sine restaurationis spe antequam vel ruina populis sint periculo vel aspicientibus scandalo, solo aequanda sunt. Veniam tamen a Nobis petent qui ita fieri de aliquo templo aequum judicent, ut videamus an aliter damno mederi possimus. Quod si non detur volumus ut omnia pretiosa in aliam, quam indicabimus, trasferantur Ecclesiam, cetera ne in profanos sordidos usus adhibeantur, atque in ejus dedicationis memoriam area Cruce signetur. Nos autem de proventibus et juribus ad

Trid. Conc. mentem Sess. XXI. C. 7. de reformatione disponemus. Pretiosas icones, Sanctorum signa, nobilium opera artificum, et vetera monumenta, quaecumque illa sint sine nostra venia Parochi delere, destruere, vendere ne audeant, neque etiam restauranda committant: magna enim ex eo tum locis, tum scientiae jactura facta est. Qui novas aedificare cupiunt Ecclesias facultatem a Nobis impetrandam esse noverint. Exhibeant itaque et fabricae typum, et templi dotem, et quae sit probabilitas doceant, ut ad complementum deduci posse pateat. Videbimus Nos an conveniat, et quid agendum sit decernemus. Insuper ne quid inconsultis Nobis de fabrica quidquam mutetur.

Olim circa templa erant coemeteria, loca sanctae dormitionis, ubi corpora in Christo mortuorum ad resurrectionis diem componuntur. Sacra sunt, ab Ecclesia solemnibus dicata ritibus, omnique a Christianis veneratione honoranda. Nunc ne cadavera exhalentur aerem, et malis inficiant vaporibus longe a populi frequentia satius aestimatum est illa habere. Super his cum Provinciali Synodo pauca, verum omnino observanda, praecipimus. I. Ne cadavera humentur Christianorum in Ecclesiae communione defunctorum ante loci benedictionem, quae fieri debet a Nobis, vel a Sacerdote per Nos delegato. II. Sint coemeteria circumdata muro, sordibus purgata, et mediam habeant Crucem. Animalia ibi ne pascant, herbae non in usum pascui adhibeantur, verum incendantur. III. Erigatur, si possibile sit, in medio coemeterio Cappella sacris aptata. IV. Introitus janua claudatur, et sera. V. Cum equidem deceat et non Catholicum pro hominis dignitate sepeliri, absonum vero Catholicos cum Acatholicis commisceri, volumus ut Catholicorum coemeteria ita sint ab aliorum distincta, ut ne per illa ingressus ad haec pateat, et reprobamus et tol-

lendum decernimus abusum, quo in coemeterii benedicti angulo locus est pro non baptizatis, ad quem per illud sepeliendi deferuntur. VI. An aliquis Ecclesiastica privandus sit sepultura Rituales libri definiunt: si quid dubii exoriatur ad Nos Parochi deferant, ut decernamus. VII. Solent aliquando tumuli ornari Epitaphiis: ne Nobis insciis et non probantibus ulla ponantur. VIII. Si fieri commode potest, quod et Rituales libri insinuant, sint Sacerdotum atque innocentium infantium sepulturae ab aliis distinctae. IX. Cadavera veste induta humentur. X. De funeribus primo indicimus, more ut fiant vere Christiano, nec saeculi pompam etiam inter mortis lugubria redoleant. *Et ne occasione funerum querimoniis locus detur, curent Parochi ut jura funerum ab Episcopo approbanda in varias classes distribuantur, quarum eam, quae magis arridet, familiae eligant* (*i*). Quae normae servandae, adhibitis opportunis consiliariis definiemus.

Haec et Provincialis de Templis et Coemeteriis, et Praedecessorum nostrorum Synodi statuerunt et decreverunt, et Nos indicimus omnino esse servanda.

(*a*, ad Hebr. X*I*. 13, et *XIII*. 14, et X*II*. 22, *I*. ad Cor. X*III*. 12, *I*. Joann. *III*. 2. (*b*, *II*. Cor. *I*. 4, Apoc. XX*I*. 4, Os. *XI*. 4, Ps. CXX*I*. 3, Apoc. XX*I*. 3. (*c*, Ps. XLV*II*. 10, Lev. XXV*I*. 2. (*d*, Ps. XXV. 8. (*e*, Mal. *I*. 6, et seqq. (*f*, *I*. ad Cor. X*I*. 5, et Syn. Provinc. De Templis. (*g*, Jer. XLV*III*. 10. (*h*, De Templis. (*i*, Syn. Provincialis De Caemeteriis.



PARS I. CAPUT V.

De Reliquiis, Imaginibus, et veneratione Sanctorum

Creavit Dominus novum super terram, et misit filium suum, ut eos qui sub lege erant redimeret, et nos qui sub elementis mundi eramus servientes, liberati a peccato, adoptioneque filiorum recepta, efficeremur templum Dei, et lapides vivi superaedificati essemus unum corpus in Christo, et quod majus! corpus Christi, et membra de membro, consumati in unum, ut in eo et Patre unum simus (a). Novum equidem! cum enim sub priori testamento tangentem morticina, eaque etiam sanctorum contaminarent, novo foedere *corpora in quibus glorificavimus, et portavimus Deum* (b), sacro sunt et benedicto servanda loco in expectationem diei, quando *Christus reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae* (c). Quin imo eorum lipsana, qui perfectiori vitae ratione insignes magnis cum meritis ad patriam in Christi regnum pervenerunt, *Deus, qui non est Deus mortuorum sed vivorum* (d), mirabili glorificat omnipotentia, ut *vita Jesu manifestetur in eorum carne mortali* (e), ad fidei confirmationem, in spei et consolationis argumentum, in coeleste charitatis incrementum. Qua de re quam uberrime, quanto eloquii splendore disserit Joannes Damascenus, cujus vos verba in Reliquiarum commemoratione recitatis! Cui et caeteri patres, et primaevi fidelium mores, Ecclesiaeque totius auctoritas quam mire consentiunt! Quin imo si superiori-

bus pluries saeculis, novissime in Tridentino Concilio ad profligandos neo-iconoclastarum errores Ecclesia pleraque sancivit, et definivit, quibus edocuit nos venerationem, invocationemque sanctorum, in eorum sive corpora sive imagines devotam reverentiam; addens quod *si quis his decretis contraria docuerit aut senserit anathema sit* (*f*). Quae vero quanta et prudentia, et pietate referta praecepit ut et omnes removerentur abusus, atque in majora semper devotionis sensa fideles excitarentur! Legite, quaesumus, atque attente considerate Sessione XXV totum illud caput de invocatione, veneratione, et reliquiis sanctorum, et sacris imaginibus.

Quibus sanctissimis definitionibus et praeceptis addere est et quae in prohibitorum librorum indice indicuntur super imaginibus nondum Canonizatorum aureola ornatis, de Rosariis, et Litaniis privata devotione inductis, quae omnia interdicuntur Cap. de Libr. prohib. §. 3. et 4. Quare non novum videbitur si cum Provinciali Synodo juxta Decr. Trid. Synodi, quae *statuit nemini licere ullam insolitam ponere, vel poni curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit: nulla etiam admittenda esse nova Miracula, nec novas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente et approbante Episcopo* (loco citato); volumus ut Ecclesiis praepositi Catalogum Reliquiarum, quas in suis habuerint templis, conficiant, atque ad Nos deferant cum documentis, quae authenticitatem probent earum; Nos vero decernemus quid sit agendum: et pariter vetamus quemquam suo arbitrio Reliquias exponere a Nobis non approbatas, quicumque ille sit; et prohibemus Reliquias habere venales, quas quis in theca aptet et petentibus tradat.

Insuper ad Sacrorum Rituum normas cum Praedecessoribus nostris *Reliquias authenticas omni decentia custodiri mandamus. Si insignes fuerint, in loco eleganter ornato, vel in capsa decenti labore constructa in cujus*

fronte inscriptum nomen appareat, collocentur: minusculae vero in vitreis vasculis asserventur, et nomina pariter quibuscunque inscribantur. Si vero in aliqua Ecclesia de Sanctissimae Crucis ligno reliquia servetur, lampas, quae semper ardeat ante eam, appendatur (g).

Ubi vero reliquiae insignes publicae adorationi exponuntur, hoc fiat a Sacerdotibus superpelliceo, ac stola indutis, et cum luminibus (*h*). Praecipimus Nos ut omnes reliquiae pari modo publico exponantur cultui. Addimus ne cum alicujus Sancti lipsana exponuntur, in eadem theca et aliae jungantur reliquiae.

Huc pariter cum iisdem subjungimus *ne in pavimentis, neque in locis sordidis, ne extra Ecclesiam quidem imagines sacrae pingantur, et si quae fuerint aut amoveantur aut deleantur* (*i*). Et cum bonae memoriae Andrea Episcopo Minucci monemus: *quae adeo vetustate indecentes, aut pictoris imperitia deformes imagines sunt, quae stomachum potius quam devotionem excitant, aut nuditatibus, quae Ecclesiam omnino dedecent, nimium lascivientes, licet sacram referant historiam, de medio tollantur* (*k*): quod quidem non Sacerdotum arbitrio fiat sed consultis et decernentibus Nobis. Vetamus insuper eas minus devotioni consonas Sepulcrorum in Parasceves die confici formas, quibus homines ad Mysteria Dominicae Passionis repraesentanda ponuntur.

Oramus vero vos, quin imo praecipimus, ut saepe populum doceatis ad normam Tridentinae Synodi, loco citato, quae reverentia Reliquiis atque Imaginibus habenda sit: quae spes in Sanctorum tutela reponenda: et quo fidei diverso motu Reliquiae atque Imagines colendae proponantur.

Monemus insuper ne nimium faciles neotericis opinionibus incredulitatem saepe Philosophico, ac quandoque Theologico pallio velantibus indulgeatis; saepe enim accidit ut populus ex accepta traditione, vel etiam ex

antiqua Sacrorum Rituum consuetudine pleraque faciat, quae perversi homines, vel certe sacrarum rerum ignari superstitionis accusant, sunt vero et sanctissime suscepta, et pari cum sanctitate servata.

De cetero docete utique populum quod Deus in Sanctis suis honoratur, docete quod Sancti nobiscum junguntur ad reddendum Deo honorem, docete divini esse doni si miracula per Sanctos fiant. Verum dum sic docetis ne tantum Duliae atque Hyperduliae cultui tribuatis, ut debitus ipsis pro dignitate, et merito habendus, minuatur Sanctis honor. Quin enim eos honoremus, et laudemus quos laudat, atque honorat Spiritus Sanctus? Qui tantum ab honore, quo populus Mariam et Sanctos colit, timendum arbitratur et superstitionis phantasma sibi impugnandum proponit, prae oculis habeat vigesimam sextam inter propositiones ab Alexandro Papa VIII. die 7 Dec. 1690 anathemate confixas: *laus quae defertur Mariae, uti Mariae vana est.*

Denique dum Sanctorum celebratis solemnitates, populum absterrete a comessationibus, ebrietatibus, choreis, docentes cum Patribus Christianam illos honorandi rationem. Sustollite vana illa gloriae certamina, quibus ornatum et solemnia vicinorum antecellere plerique student: et vos ipsi sobrie et pie agentes praeite subjectis ut discant vestro formati exemplo imitari quod tantopere celebrare delectat.

(*a*, Jer. *XXXI*, 22, ad Gal. *IV*. 4. 5. 3, ad Rom. *VI*. 22, *II*. ad Cor. *VI*. 16. *I*. Pet. *II*. 5. ad Rom. *XII*. 5, *I*. ad Cor. *XII*, 27, Joann. *XVII*. 21. 22. 23, (*b*, *I*. Cor. *VI*. 20. (*c*, ad Philip. *III*. 21. (*d*, Mar. *XII*. 27. (*e*, *II*. ad Cor. *IV*. 11. (*f*, Sess. *XXV*. de Invocat., Vener. et Reliq. Sanct. (*g*, Syn. Minucci Pars *I*. Cap. *V*. de Reliq. (*h*, Syn. Suarez Tit. *V*. de Reliq. (*i*, Syn. Suarez Tit. *V*. de sacris Imag. (*k*, Syn. Minucci Pars *I*. Cap. *V*. de Rel. etc.

PARS I. CAPUT VI.

De Sacris Ritibus observandis

Quanti Sacros Ritus et Caeremonias fecerit Deus, cunctae loquuntur Scripturae, observantibus benedictionem pollicitae, negligentibus vero maledictionem minatae; nullo unquam per Pentatheucum legem inter et caeremonias discrimine posito, sicut inter aequalis momenti negotia, atque inter se nexu arctissimo juncta. Neque novi Testamenti mediator *qui omnia nova fecit, et non venit legem solvere sed adimplere* (*a*), spiritualia tantummodo, quasi cum nudis ageret spiritibus, dona concessit, sed invisibilem illam vivificantem gratiam, sicuti duplici nostrae congruit naturae, cum visibilibus conjunxit, corporeisque signis, quae et illam in anima vitam operarentur aeternam, ad quam nos redemit, et corpora in templum Dei consecrarent, et mentem divinorum significatione munerum illustrarent. Quin etiam Apostolos, Ecclesiamque tali ornavit auctoritate, ac potestate ut fidem legemque tradentes populo, certa operum exercitia quibus acceptam doctrinam servaret intemeratam, et cum proximorum aedificatione profiteretur, instituerent, atque accurate observanda imponerent: et ecce vobis ab Apostolica usque tempestate et templa consecranda, et caeremoniae servandae, et solemnitates certis ritibus sanctificandae; tum ad fidem exprimendam, tum ad charitatem

fovendam, tum ad totius Christiani populi in uno Christi corpore compaginati unitatem communi et pari adorationis, et justificationis ratione demonstrandam. Ergo dum de Sacris Ritibus sermo sit, quis unquam non solummodo Sacerdos, verum etiam laicus, modo vere Christianus, non summa cum reverentia loquatur, quis non veneretur, quis non significationem perscrutetur, quis gravissima se ad praescripta facienda teneri obligatione inficietur? Possumus certe, sine ulla dubitatione asserere cum caeremoniarum neglectu fidei morumque deficere puritatem. Legisse meminimus Valentem illum Arianum Caesarem dum sacris adesset a Basilii Clero celebratis defecisse animo, atque humanis majora visum se contemplasse, tanta in caeremoniarum ordine ac decore majestas! dum e contra se et imperatorem, et rerum dominum, et sacerdotibus praestantiorem, doctrinaeque arbitrum ex ipsis ritibus in Arianorum templo se esse sentiebat. Ah quaesumus, ne tanto Catholica templa assuescant opprobrio! Scimus equidem e Protestantum penu, hypocrisique Jansenistarum, serpentinaque pseudophilosophorum versutia, in terram Catholicam, ut in domini olim hortum callidus serpens, quandoque caeremoniarum, et rituum irrepsisse contemptum et negligentiam: si fides animo haeret, ne quis infidelium cavillationibus decipiatur. Agitur de Sacramentis? haec infallibilis est Ecclesiae vox: *Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiae Pastorem mutari posse, anathema sit* (*b*). De cujus Canonis gravitate recte sentiet, qui praefixas Ritualibus et Pontificalibus libris Apostolicas legerit Benedicti XIV. literas, quae ceterorum Pontificum omnes compendio continent. Insuper inter proscripta a regulis Indicis re-

censentur *Rituali Romano additiones omnes factae aut faciendae post reformationem* Pauli V. *sine approbatione S. R. C.* (*c*). Quin etiam notabimus ne quis erret Rituali aliquo deceptus; a Sacra Ind. Congreg. 11 Jann. 1725 *prohibentur omnes additationes, et maxime conjurationes collectae a Presb. Petro Locatello, et benedictio Aquae in Vigilia Epiphaniae.* (*d*).

Quae vero, et quanta cum severitate praecepta a Pontificibus sunt super Missali, et Breviario Romano ut qualia Romae primum ipsi ediderunt ubique terrarum edantur, ut Episcopi atque Inquisitores invigilent ne quid mutetur in illis, et si qua prodeant sine vel Episcopi, vel Inquisitoris mandato, ac testimonio de medio tollantur. Jusserunt pariter Clericos et Sacerdotes ad illorum normam officia, missasque celebrare, atque hoc sub gravi obedientiae praecepto addentes quod qui aliter Canonicas horas recitaverint officio non satisfaciant nec fructus faciant suos: ut videre est in Decretis Missali Romano, ac Breviario praepositis. Hoc unum ut debitum quos attinet in memoriam revocemus. *S. R. C. juxta Decreta alias facta mandat in omnibus et per omnia servari rubricas Missalis Romani, non obstante quocumque praetextu, et contraria consuetudine, quam abusum esse declarat... et Sanctitas Sua* (Urb. VIII.) *annuit, et ab omnibus ubique servari, et Missali Romano apponi mandavit.* Ita initio Missalis Romani. Et de libris liturgicis omnibus, atque etiam Officiis Parvis B.M.V. et Majoris Hebdomadae generale a S. R. C. Decretum 7 Apr. 1832, et 26 Apr. 1854 datum est, ut perferant attestationes Ordinariorum queis declaratur *haec exemplaria concordare cum his quae hic Romae sunt impressa ad tramites Bullarum* S. Pii V., Clem. VIII. *et* Urbani VIII.: quod praescriptum in sua Theologia Morali refert Scavinius. Quibus positis, ne abusus irrepant, et si qui irrepserint

tollantur, nonnulla praecipiemus, reliqua Caeremoniarum Magistro, et Ritibus Praefecto, cui omnes super hac re parere tenentur, relinquentes.

I. Igitur meminerint Ecclesiae praepositi curare ut Missalia sint integra, vestes vero et benedictae et decentes; Altaria vero cum suis mappis benedictis, ad rubricas formatis, et mundis; (gossypium etiam in his non tolerandum S. R. C. saepe declaravit); sit Crux in medio, atque hinc inde candelabra saltem duo, in quibus dum Missa celebratur ardeant duae cereae candelae (*e*).

II. Meminerit Celebrans, licet sit in Capitulo Dignitas, sibi deferendum, detegendum, cooperiendum calicem, aperiendum Missale, non autem alii, licet Sacerdoti, dum private sacra facit: neque posse tolerari servitium illud quod exhibetur Praelatis, vel Celebranti a Diacono et Subdiacono (*f*).

III. *Deficiente Subdiacono pro Missa Solemni, data necessitate, potest permitti per Superiores, ut substituatur constitutus in minoribus ordinibus ad cantandam Epistolam paratus absque manipulo. S. R. C.* 5 *Julii* 1698. Tria notanda: 1. ne quis ad hoc assumatur etsi clericalem jure deferat vestem nisi sit in minoribus constitutus ordinibus: 2. solam Epistolam cantet, caetera quae Subdiaconi ordinem postulant, non faciat: 3. Si adsit Sacerdos nullo modo Clericus adhibeatur.

IV. Si Missa canatur sine duobus ministris, atque unus adsit Sacerdos, hic canat Epistolam cotta utique indutus, officium vero ministrorum non audeat assumere; ipse autem Celebrans canat Evangelium, et caetera peragat.

V. Tollantur in Hebdomada Majori abusus quivis Missali, et Caeremoniali contrarius in cantanda Passione: si copia Sacerdotum desit, Missa celebretur sine cantu.

VI. Officia divina graviter et cum suis pausis canantur. Neque statim ac ad Chorum Celebrans et Sacerdotes

pervenerint, incipiantur: sed prius a Celebrante, vel primo Chori indicatur *Pater noster*, et precibus ante quamvis horam a Breviario praescriptis submisse recitatis, dato signo hora incohetur.

VII. Quae in Missali de celebrandi hora, de sedendi, standi, genuflectendi ordine praescripta sunt, omnino serventur.

VIII. Supplicationes fiant modo a Rituali praecepto. Novae sine nostra venia ne indicantur.

IX. Si quam Parochi vel populi pietas novam aliquam solemnitatem inducere cupiat, sciant a Nobis facultatem expetendam.

X. Omnibus Dominicis fiat populi aqua benedicta ante Missam aspersio, ut Missale Romanum praecipit.

XI. Vetamus Sacerdotes, et Parochos, qua die Solemnia alicujus Sancti celebrant, exponere adorandam Eucharistiam, atque illa populo benedicere: hoc enim rectae cultus normae repugnat (g). Quarta cujuslibet mensis in Cathedrali, alia juxta consuetudines Dominica in caeteris Parochiis, solet mane exponi adoranda Eucharistia et fit processio qua defertur et populo cum illa benedicitur, adstantibus sodalitatis SS. Sacramenti Confratribus. Decernimus ut expositio, processio, adoratio, et benedictio fiat ante vel post Missam, prout Capitulo et Parochis in suis Ecclesiis expedire videbitur.

XII. Cum vero inconcinna atque inordinata Sacrorum celebratio e rubricarum ignoratione, vel oblivione proveniat, nullum ad quemvis ordinem promovebimus, qui Caeremoniarum Magistri testimonio non probet se respondentes Ordini ritus callere. Ordinatos vero monemus debere se saepius caeremonias in mentem revocare, ne a recta rubricarum ratione declinantes graviter peccent, et pro canonum rigore puniendi sint.

XIII. Pro Clericis, qui Sacristiae inserviant, etiam post

Decretum atque indulgentiam Tridentini Sess. XXIII. Capite XVI., consuetudo tolerata dat Laicos Sacristanorum nomine. Sint hi probati fide, integri morum, venerabiles pietate, iique etiam qui rusticitate, et sordibus Sacra non dedeceant. Praesit tamen illis Sacerdos cui omnino pareant. Mulieres a Sacristiae servitio, praetextu quovis non obstante, removeantur. AEditui vero pro Clerico Sacris ministrantes habeant vestem in talaris formam, et superpelliceum in cottae similitudinem.

XIV. Scimus in minoribus Ecclesiis majora solemnia ad Missalis normam celebrari non posse, quare monemus Parochos, ut *memoriale rituum pro aliquibus praestantioribus functionibus persolvendis in minoribus Ecclesiis* a D. Ben. PP. XIII. sub die 4 Decembris anni 1724 confirmatum legant. Habere autem illud possunt post officium Majoris Hebdomadae a D. Spiridione Talù compositum, editum vero a D. Joanne Diclik Ven. 1835. In Cathedrali vero, et ubi suppetit copia Sacerdotum Missalis Romani Rubricae adamussim serventur.

XV. Ut omnia recte fiant Parochorum per Dioecesim, in Cathedrali Caeremoniarum Magistri conscientiam oneramus. Caeremonialis liber sua munera ritibus praefecto declarat lib. I. Cap. VI. legat ille, et lecta perficiat.

XVI. Ne vero Caeremoniarum Magister a negligentibus superbisque Sacerdotibus despiciatur S. R. C. die 31 Maji 1817 edixit: *Capitulares omnes teneri obedire Caeremoniarum Magistro in his quae divinum cultum respiciunt, eundemque in sui muneris exercitio esse Capitularium Directorem non famulum;* et 17 Jul. 1734. *Magistro Caeremoniarum ab Episcopo electo omnes Capitulares tenentur obedire quoad ea quae divinum cultum concernunt sub poena arbitrio Episcopi.*

XVII. Sciant vero Caeremoniarum Magistri se non arbitros, sed Caeremoniarum executores; sciant suum

esse Clericos in Rituum instituere doctrina: meminerint etiam quod S. R. C. 21 Apr. 1607 decrevit: *Magister Caeremoniarum non potest alterare vel mutare consuetudinem circa praeintonationem Antiphonarum ad Vesperas.* Noverint insuper ex S. R. C. 1 Aug. 1739, quod si quando Nobis extra Cathedralem adstiterint, non lucrantur distributiones chorales.

XVIII. Si qua vero vetus consuetudo sive in Cathedrali, sive in aliis Ecclesiis Caeremoniarum Magistro videatur abusus, antequam quidquam vetet jubeatque, ne forte sui juris limites transgrediatur ad Nos deferat. Si qua vero nova a rubricis dissidentia cognoverit, pro suo munere tollat. Si quis vero restiterit et contra Ecclesiae praescripta, etsi pietatis nomine, in novitate perseveret, Nos de crimine moniti, et ut obediat cogemus, et contumacem puniemus.

(*a*, Apoc. XXI. 5, Matt. V. 17. (*b*, Conc. Trid. Sess. VII. de Sac. Can. XIII. (*c*, Reg. Indic. Decr. de libris prohib. §. IV. N. 7. (*d*, Hoc Decr. est in fine Ritualis Rom. ed Bass. apud Remondini 1834. (*e*, Rubr. Gen. XX. Suarez de Missae Sacr. (*f*, S. R. C. 7. Julii 1734. (*g*, Vide Dizionario Liturgico Diclik tit. Altare di un Santo.



PARS I. CAPUT VII.

De Diebus Festis, Vigiliis et Supplicationibus

Quam naturae conveniens, quam gravi foederis antiqui praecepto sancitum, quanta devotione, ac studio susceptum ab Apostolis atque Ecclesia diei sacri sit jus, cunctae testantur Scripturae, Ecclesiasticaeque Historiae ac traditiones; quam vero utile sit dies festos celebrare, Mysteriorumque in iis meditari doctrinas, Sanctorum exempla considerare, sibique ad imitandum proponere, ut caetera omnia praetermittamus argumenta, ex eo patet, quod qui divina atque humana subvertere conantur, a dierum sacrorum contaminatione incipiunt, eo denique devenientes ut dicant vetus equidem sceleris placitum, *quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra* (*a*). Neque minus Haeretici, pariter atque increduli abstinentiam, jejunia, supplicationes irrident, et blasphemant. Quid enim a depravatis mentibus piorum operum probationem expectemus? Redeant ad cor, ibique mortificationem Christi, precum communionem cum baptismate insculptas reperient; scrutentur Scripturas, Sanctorum vitas, Ecclesiae traditiones; laudatas a Spiritu Sancto, praeceptas, propositas quas ipsi spernunt, plurimas, has humanae pietatis effusiones legent. Hoc tamen a perversis dissidet moribus, et discere nedum operari curant. Fatemur aliquando vel malitia vel superstitione in haec nonnulla ir-

repsisse mala: sustulerunt Ecclesiae leges; nos ne vel conscientiae timoribus vanis agitentur, neve stulta sapientiae immisceantur, cum Sacris Canonibus, et Synodis haec sequentia praecipimus.

I. Ne laxioribus, vel rigidioribus sive de Festis sanctificandis, sive de jejuniis abstinentiaque servanda praedicando, catechizando, confessiones excipiendo Sacerdotes utantur sententiis volumus, ut nostra hac in Dioecesi probatissimam S. Alphonsi de Ligorio doctrinam sequantur, et nuperrima Romani Pontificis super jejunio abstinentiaque responsa perpendant, omissis caeterorum omnium Theologorum opinionibus, et suo humiliter domito judicio.

II. Pariter etsi recte sive docendo, sive in poenitentiae Sacramento cauponum cupiditatem, scandalorum crebram occasionem percellant, attamen hac quoque in re Sancti Alphonsi doctrinam ne praetergrediantur.

III. Catechizando, praedicando, confessiones excipiendo Sacerdotes moneant populum quam gravi teneatur obligatione ut adsit Parochiali Missae, praedicationi, et catechismo diebus Festis, ubi commode id fieri potest. Ex Sess. XXIV. Cap. IV. de ref. Trid. Conc.

IV. Diebus Festis Sacerdotes populum antecellant. Dies enim festi si populo sunt requiei, Sacerdoti sunt operi. Quare si semper, diebus maxime festis, animarum in templo devoveantur curae. Sit Sacerdos vigilans promptusque ad Sacramenta ministranda, devotione praestet in sacris faciendis, et qua maxima potest eloquentia praedicet, et catechizet.

V. Opera servilia, publica etiam, nisi necessitas urgeat, sunt impedienda; verum ne requies in otiositatem declinet, quae *multam malitiam docet* (*b*), sacra solemniter pro locorum opportunitate peragentes, docendo, atque ad sacra opera pietate vestra homines perducendo, pericula

omnia tollere satagite. Sacerdos autem praeeat solemnitates non conviviis, sed religione concelebrans.

VI. Ne populus ab officina, ab agro devotione inordinata retrahant, et ne lucri suspicione perfundantur Sacerdotes, vetamus Parochos, si qua Sancti alicujus solemnia celebrentur, festa devotionis indicere, atque opera servilia prohibere; Urbanum VIII. sequuti, qui hoc et Episcopos hortatur ut abstineant (*c*). Doceant populum honorare Sanctos, audiendo Missam, Sacramenta suscipiendo, eorum opera imitando: ne festi praetextu in cauponis ad mala otietur. Monemus vero Parochos ne devotionis caúsa, quod alio etiam Decreto vetitum est, festa in sequentem Dominicam transferant.

VII. Insuper ne populus ignoratione erret, quavis Dominica inter Missarum solemnia Parochi indicant festa, et jejunia per hebdomadam occurentia, et quibus legibus, qua dispensatione servanda sit a cibi qualitate abstinentia. Quae denunciationes, caetaereque fieri solitae, etiam in Cathedrali ante Symbolum intonatum fiant, non vero post: dedecet enim populum dum oblatio fit alio distrahi.

VIII. Denique volumus ne novae inducantur supplicationes, sive solemnitates; atque ut, quae consuetudine invaluere, omni scandali periculo liberentur. Supplicationes nocturno tempore, et nimis longo itinere ne fiant: extra Dioecesim sine nostra venia non procedant: et si qua hoc induxerit vetus consuetudo, ad Nos deferatur ut quid agendum sit Canonice decernamus. Supplicationes non fiant ad loca ubi non sunt Oratoria. Si ibi ponenda sit Crux, ea antequam collocetur in pagi Ecclesia benedicatur ab habente facultate, non alibi. Denique omnia ad Ritualis Romani formas componantur.

Quare indicem Nobis proferent Ecclesiae praepositi supplicationum, et solemnitatum, quas a devotione vocant, et modum quo celebrantur enunciabunt, ut videa-

mus probare ne an prohibere conducat. Si qua vero urgeat necessitas ut vel intra Paroeciae fines supplicatio fiat, vel aliqua solemnitas habeatur ad impetrandam pro re gravi divinam misericordiam, consuetudo servetur: Parochis tamen prudentia, et conscientia providentibus.

(*a*, Psal. LXXIII. vers. 8. (*b*, Eccli. XXXIII. 29. (*c*, Decr. de observ. Fest. *Universa*.



PARS I. CAPUT VIII.

De Indulgentiis

In maximum animarum emolumentum, in Christianae spei auxilium, in populi fidelis consolationem data a Christo fuit Ecclesiae suae concedendarum potestas Indulgentiarum. Hoc quoque Episcopo curae esse debet, ut quod in bonum largitus est Jesus, ne in malum vertatur, atque ut insigne ejus infinitae misericordiae beneficium in gregis utilitatem dispensetur. Itaque Tridentini Concilii doctrinis et praeceptis Sess. XXV. de Indulgentiis promulgatis inhaerentes, haec decernenda arbitramur et decernimus.

I. Volumus ut qui populi erudiendi munus exercent, gregem edoceant et Catechesibus et Homiliis Indulgentiarum doctrinam, et quid ad earum consequendum effectum sit opus, omnesque excitent ad illas lucrandas. Hac tamen in re notandum saepissime evenire, ut Indulgentiarum temporibus per externas Parochias publicatis tanta hominum frequentia eo conveniat, ubi illis frui concessum est, ut vel Confessorum desit copia, vel poenitentium numero oppressi Confessarii cursim officium expleant, quod facile in animarum periculum cadere potest. Quare expedit utique ut unusquisque Parochus Indulgentias suae Paroeciae Ecclesiis concessas ab altari populo annunciet, aliarum vero Parochiarum Indulgentias, si bo-

num publicare credat, illud adjungat, ut qui illuc accedere cupit, et misericordiae donis juvari desiderat possit primum a solito Confessario peccatorum absolutionem exomologesi facta recipere, et dein Ecclesiam ad lucrandam Indulgentiam ire.

II. Animadvertant Confessarii ne ipsi Indulgentiarum occasione disciplinam enervent. Sancti equidem Patres Indulgentiarum aequo nimius frequentem damnabant usum, tunc enim in persecutione lapsi neglecta poenitentia non conterebantur, vel infirmi facili remissionis spe in lapsum magis proni fiebant; conversa nunc res est: etenim Indulgentiis illecti fideles majorem suscipiunt Sacramentorum usum; optimum certe, et valde desiderabilem devotionis fructum! Verum ne Confessarii male praeparatos, impoenitentes, occasionum laqueis voluntarie illigatos, malis habitibus sine correctionis efficaci desiderio indulgentes, fures restitutionem declinantes, blasphemos ad impia verba infraenos, odiis invidiaque nunquam posita flagrantes, officiorum de more immemores, laxioribus decepti sententiis, quia Indulgentiarum urget tempus, absolvant, et sic divinae misericordiae infinitae donum in propriam et populi cladem convertant, animas sacrilegio transfodientes.

III. Optandum, si fieri possit, ut Indulgentiarum dies sancta praedicatio animas ad beneficium paratura praecedat. Studeat Sacerdos orator mentes recta sanaque imbuere doctrina, et corda in peccati odium permovere.

IV. Illud quoque valde necessarium, ut perspicue et distincte opera ab Apostolico indulto ad Indulgentiam consequendam injuncta populo explanentur: ex iis enim pendet concessae facilitatis effectus.

V. Caveant Parochi ne occasione Indulgentiarum eleemosynas imperent, nisi Pontificia sic jubeant Indulta; itaque et illum reprobamus inveteratum morem capsulam

ad Christi Crucifixi pedes in abaco positam, ut populus eleemosynas elargiatur. Quod et Praedecessores nostri in suis Synodis vetuerunt (*a*).

VI. Licet Parochus ab Apostolica Sede, cujus est plenarias concedere Indulgentias, Indultum obtinuerit, sciat sine Nostro consensu, nostraque licentia non posse illas populo indicere, et quomodolibet publicare.

VII. Optimum erit si aliquando Parochi quotidianas illas, quarum opera facile complentur, ut Salutationis Angelicae, precum pro Defunctis hora prima noctis, visitandi SS. Sacramenti, Viaticum comitandi, et maxime actuum Fidei, Spei et Charitatis emittendorum saepissime memorent atque inculcent: verum simul edoceant, quae necessaria sit, etiam ad istas, animi dispositio.

Denique solebant olim, neque nunc horrenda penitus obsolevit malitia, plerique populo preces aliquas divinae opis, Indulgentiarumque spe vendere, superstitiosas, impias aliquando, semper ab Ecclesia damnatas. Moneat Parochus populum ut deceptores hos devitet, quas emerit comburat, a recitando abstineat. Quos vero illas promulgantes compererit publice arguat, ad Nos etiam deferat, ut malo occurramus. Ipse interim zelo puro, et pietate manifesta plebem sibi conciliet, ut docenti credat, et recta praecipienti auscultet.

(*a*, Suarez Syn. Tit. VI. de Indulgentiis - Syn. Minucci Part. I. Cap. VII.

FINIS PRIMAE PARTIS

PARS II.

DE SACRAMENTIS ET SACRAMENTALIBUS

De Sacramentis

Magnum et venerandum opus, septem scilicet novi Foederis Sacramenta Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, Matrimonium, quibus *Jesu Christi meritum nobis applicatur* (*a*), *et omnis vera justitia vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur* (*b*), *continent enim gratiam quam significant, et non ponentibus obicem conferunt ex opere operato* (*c*). Ne vos moremur ea iterando quae in schola didicistis, obsecramus ut totam de Sacramentis doctrinam attente e Tridentino Concilio hauriatis, ex ea deducendo quae populum docere vos oporteat, ipsique mente et corde eam concipiatis in Sacramenta reverentiam quae decet non suscipientes solum sed et ministrantes, quibus redemptionis pretium, Christi Sanguinem dispensandum divina misericordia insigni vocatione commisit. Itaque cum Provinciali Synodo Rituales normas repetentes oramus per ipsum Christi Sanguinem vobis in Christiani populi utilitatem sacro ministerio creditum, *integre caste pieque vitam agite, ne impure indigneque Sacramenta ministrantes in aeternae mortis reatum incurratis. Quacunque diei ac noctis hora, sicuti pro hominibus assumpti et constituti in iis quae sunt ad Deum* (ut ait Paulus) maxime si animarum geritis curam, *ad*

Sacramenta ministranda vocemini nullam officio praesertim si necessitas urgeat, moram imponite. Sacra suppellex, vestes, ornamenta, linteamina, et vasa ministerii integra nitidaque sint et munda. Ad ministrandum accedentes, et in ipsa Sacramenti administratione, qua decet gravitate, incedite. Suscipientes vero, et qui adsunt Sacramentorum virtutem, usum, utilitatem, et caeremoniarum significationem diligenter edocete. Singula in ministrando verba attente, distincte et clara voce pronunciate, nec memoriae quae plerumque labitur confidite. Caeremonias ac ritus ita decenter gravique actione peragite ut adstantes ad coelestium rerum cogitationem erigatis, attentosque reddatis. Breviter quae praescripta sunt recensuimus: vos fusius tradita a Rituali Romano legite, et devoto considerate animo (*f*).

(*a*, Trid. Conc. Sess. V. de pecc. orig. et Sess. VI. Cap. XIV. (*b*, Sess. VII. proem. (*c*, Sess. VII. de Sac. Can. VI. et VIII. (*f*, Rit. Rom. de iis quae in Sacr. servanda sunt.



DE BAPTISMO

Quae necessitas, qui effectus Baptismi, quam crebro, quam gravi, atque unctionis sanctae pleno sermone populos de illo alloqui conveniat, in Theologicis libris, in Tridentino Concilio meditamini nobiscum, venerabiles fratres et

I. cum Tridentina Synodo hujus Sacramenti necessitatem profitemur; et profitemur pariter Baptismum conferre gratiam, characterem imprimere, subditos nos efficere Ecclesiae, primum esse Sacramentum, per quod ad caetera suscipienda fit accessus: ministrari autem aqua naturali et forma *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Caetera pariter profitentes quae de hoc Sacramento Apostolica Romana docuit et docet Ecclesia.

II. Deinde, sicuti cum Provinciali Synodo (*a*) precamur vos ut faciatis, curate ut populus cognita Sacramenti hujus excellentia, et beneficio per illud accepto in grati animi sensa erga Deum excitetur, munera officiaque quae in suscipiendo baptismate subiit, animadvertat, et ad exequenda pro Ecclesiae Deique filiorum conditione permoveatur. Optimum etiam erit si quemque doceatis, anniversarium sui Baptismatis diem sanctis operibus, renovatisque votis et juramentis pie devoteque celebret: felix ille qui hac ratione sui est memor Baptismi! a peccato servatur immunis, virtutibus in immensum augetur.

III. Cum vero ab omnibus necessitate urgente Sacramentum hoc private ministrari possit, curate ut omnes Baptismi conferendi formam modumque cognoscant, ne ex hominum ignorantia damnum animabus proveniat.

IV. Monete matres maxime in pœnitentiæ secreto, ne dum utero foetus gestant, quidquam agant, quod occasionem praebeat abortui; docete illas, quam gravi peccato se inquinent, quae sint poenae in procurantes abortum indictae.

V. Certiores vos facite de obstetricum scientia, ne forte in ministrando desint Baptismo. Sciant pariter medici pueros in utero propter mortis periculum baptizatos injecta per infundibulum seu clysterem aqua, sub conditione esse rebaptizandos, si in lucem venerint. Idemque faciendum si emissa aliqua parte, quae non sit caput, in illa sint baptizati. Si prudens aliquod dubium de collato Baptismo oriatur, repeti debet sub conditione.

VI. Indicite familiis ut recens natos quantocyus baptizari curent; spatio octo dierum ne transgrediantur (*a*).

VII. Extra Ecclesiam Fonte baptismali praeditam ne quis, extra necessitatem baptizetur: si canonica causa urgente baptizatus fuerit, quamprimum supplendum est caeremoniis. Vestrum est de hujusmodi praecepto populum monere. (*a*)

VIII. Infideles adulti, ne, necessitatis non cogente causa, inconsulto Episcopo baptizentur (*a*). Filii autem hebraeorum infantes, sub patris potestate baptizari nequeunt temere, patre non concedente. Si casus evenerit, quod puer infidelium parentum baptizetur, ad Nos res deferatur, ut pro canonibus consulamus.

IX. Ad Baptisma adhibendi sunt Patrini. Parochus ab iis ad quod spectat exquirat quos vocaverint, an plures quam duo quod non licet, an duos ejusdem sexus quod pariter non licet: ipse autem non admittet indignos, ineptos, impuberes, et pro temporum conditione non confirmatos, infideles, haereticos, publice excomunicatos, interdictos, publice criminosos, infames, mente male sanos, rudimentorum Fidei ignaros (*b*). Item ne admittat Regulares et Clericos sine nostra licentia.

X. Nomina Sanctorum, qui baptizato patroni sint, imponenda: ethnica, ridicula ne concedantur. Gentilia vero cum Sancti alicujus nomine consocientur.

XI. Doceat Sacerdos Patrinos, et pueri Parentes quam spiritualem contraxerint cognationem: Parentes insuper ne detineant infantem in lecto cum periculo suffocationis dum ipsi dormitant.

XII. Puerperas optimum est assuefacere ut quamprimum domo exierint Ecclesiam adeant, benedictionem ad Ritualis normam suscipiant, gratias agant, prolem Deo offerant. Ne hoc erubescant, si Beata Virgo Maria purificationis ritum non erubuit, quamvis immaculata, intemerata, et Virgo Sanctum Domini peperisset (*c*).

XIII. Parochi alienos subditos, inscio eorum ordinario Parocho, ne baptizent (*d*).

XIV. De Baptismali Fonte, de aquae benedictione adamussim Ritualis et Missalis Romani praescripta serventur.

XV. Ad normam pariter a Rituali designatam Baptizatorum liber habeatur: quod ne repetere sit, sciant Parochi se et Confirmandorum, et Conjugatorum, et Defunctorum libros, non modo eos qui a potestate civili requiruntur, sed et quos Rituale praecepit, ad ejus normam omnes conscribere debere. Illum etiam qui Status Animarum vocatur ne negligant: est hic velut omnium index et compendium, maximum Parocho adjumentum, si componere scite cognoverit.

(*a*, Prov. Syn. De Baptismo. (*b*, Rituale de Patrinis. (*c*, Syn. Minucci. (*d*, Syn. Suarez.



4 on

DE CONFIRMATIONE

De Sacramento Confirmationis dicentes, quo vos meliori, quam divi Eucherii verbis, alloquamur, venerabiles fratres, exordio! Ille enim et Sacramenti dignitatem, et coelestes plene demonstrat effectus. *Spiritus Sanctus*, ait, *qui super aquas Baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum praestat ad gratiam; et quia in hoc mundo tota aetate victuris inter invisibiles hostes, et pericula gradiendum est, in Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam, in Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur.* Addimus etiam cum Hugone a S. Victore: *quid enim prodest, si a lapsu erigeris, nisi etiam ad standum confirmeris* (*a*)*?* Itaque per Sacramentum Confirmationis baptizatus homo, et jam Christi assecla, in ejus aciem conscribitur, ut pugnet cum Christo, et cum Christo de tenebrarum mundi rectoribus et potestatibus certamine inclyto ac divino triumphet: scilicet Sacramentum Chrismatis, ab Episcopo ejus Ordinario Ministro collatum, imprimit characterem perfecti Christiani signum, et bene disposito gratiam confert, qua et concupiscentias et tentationes debellet, et fidem quam corde recepit moribus, et vita omni, et verbo, et constanter coram hominibus fateatur. Ex hoc notum habebit, qui Christianus sit, quam graviter errent, qui se filiosve ab hoc Sacramento abstinent, et tantam gratiam, dum a Christo misericorditer oblatam facile possunt acquirere, negligunt et parvipendunt! Quot ad tuendam viribus vitam voluntarie se privant! quomodo Christi

militiam consortiumque declinantes ingenti versantur in damnationis periculo! Ne vos Parochi, ne vos Concionatores, et Catechistae invalescere tam damnosum Christiani nominis probrum tolerate. Praedicate populo quid sit, quid boni contineat, quae virtutis, quae gloriae dona hoc offerat Sacramentum; et suscitate animos ad illud sancta devotione et conscientia bona suscipiendum (*b*). Nos equidem pro nostro munere, Provinciali Synodo, et Sacris Canonibus, et Pontificali parentes, curabimus, ne simus negligentibus praetextui, vos operam nostram vestro zelo juvate.

I. Sit igitur vestrum, cum indixerimus Dioeceseon visitationem, vel alio tempore ad Confirmationem ministrandam promittemus Nos aliquem locum adituros, docere pueros de Confirmationis doctrina, illosque ac parentes et patrinos disponere ut illi recte accipiant, postremi recte assistant, parentes vero ne filiorum Confirmationem negligant.

II. Nisi aliqua urgeat justa causa, a Nobis probanda, pueros ante septimum annum non praesentent ad Confirmationem: caeteros vero grandiores confessione disponant Sacerdotes, ut gratia Sacramenti operetur in eorum animis.

III. Parochi confirmandum cum scheda, in qua et nomen, et aetas, et parentes, et patrinus indicentur, offerant.

IV. De Patrinis omnia serventur quae supra indicavimus de Baptismo dicentes, sed illud addendum: patrinum confirmandi esse non posse non confirmatum, eum esse etiam ab illo Baptismi, si possibile sit, diversum, ejusdem cum confirmando sexus, et unum tantum: insuper patrino eidem unum tantum suscipere, vel ad summum duos de licentia in eadem Sacramenti collatione dari. (*c*).

V. Moneatur populus ne in patrini electione divitias et dona expectanda cogitent, sed animi pietatem, et spem, ut filio sit in auxilium ad christiane vivendum.

VI. Parochus librum confirmatorum ad Ritualis normam conficiat: externorum vero, si qui in sua Parochia sint Confirmati, nomina eorum Parochis cum Scheda quam attulerunt, remittat.

VII. Ut autem omnia recte atque honeste fiant cuncta ad Caeremoniarum Magistri nutum comparabuntur.

(*a*, Syn. Minucci. (*b*, Syn. Provinc. de Confirmatione. (*c*, Syn. Provinc. et Pontificale Rom. de Confirmatione.



DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA

Maximum Divinae benignitatis donum, supremum infinitae charitatis pignus, Eucharistiae Mysterium nobis proponitur, quod non gratiam solummodo, sed ipsum gratiae continens auctorem beatitatis aeternae in hominum consolationem praevenit praemia, et Christi Corpus in nos contemperat, ut unum quid simus tamquam corpus capiti coaptatum, ut docuit nos doctor ille eximius Joannes Chrysostomus. Hoc autem in Mysterio oblatio illa munda, et perennis offertur, in qua indesinenter Christus pro nobis immolatur, et nos secum in vitam immolat aeternam, Spiritum Patri suum valido cum clamore commendans; factusque hominis esca quotidianam in suae conditionis reparationem, vitam nostram alit, vivificat, roborat, efficit coelestem. Quid majus unquam, quid sublimius excogitari potest? Concipite, Venerabiles Fratres, haec animo sensa, et charitate flagrantes ad excelsa haec integri mente, casti corpore, virtutum incrementis ornati accedite; vestrisque et verbis atque exemplis discat commissa gens suscitare spem, devotione sincera componi, divinaque inde digno corde suscipere beneficia. Nos dum ad Tridentini definitiones, decreta, et Canones, atque ad Catholicae Theologiae doctrinam studia vestra exhortamur, quae pro officio nostro decernenda judicamus sive ad convenientem cultus decorem, sive ad pietatem fovendam, dum et Sacrificium Eucharisticum celebratur, et Sacrum Christi Corpus in Sacramentum servatur et dispensatur proponimus, et servari omni diligentia jubemus.



De Eucharistico Sacrificio

I. Itaque volumus cum Tridentini Concilii Decreto, ut populum doceatis de institutione, dignitate, effectibus, et ritibus sublimissimi hujus Sacrificii. Pariterque cum Praedecessoribus nostris Suarez et Minucci praecipimus, ut in ratione assistendi tanto Mysterio populum instituatis, et qua obligatione ad Sacrum audiendum festivis teneatur diebus (*a*).

II. Vos ipsos pietatis et devotionis praebete exemplum: quid enim turpius quam Sacerdotem a vanis sermonibus ad altaria accedentem, festinanter celebrantem, animae taedia ostendentem pietatem et devotionem indicere? Mirum equidem est si tali a monstro depravatus non amittat populus fidem, et sacris intersit non ad religionem, sed ad pompam, et templum et solemnitates in suae convertat concupiscentiae irritamentum. Videant Sacerdotes, qui minoris quadranti temporis spatio Missam celebrant, quo se crimine polluant, et quibus populum indigne offerentes, quantum in ipsis est, fraudent beneficiis.

III. Quod Romanum Missale et Caeremoniale praecipit de Supellectili, Altari, Candelabris, Cereis, omnino servetur: sciantque Ecclesiis praepositi suo se muneri graviter deesse si omnia ad Sacrificium paranda ejus dignitati male respondeant. Nos in negligentes pro munere animadvertemus.

IV. Sciant illi, ad quos pertinet, hostias quascunque in Sacrificio consecrandas, vel servandas postea in ciborio debere apponi recentes: quod et patet S. R. C. Decreto: *Renovatio SS. Eucharistiae debet fieri qualibet Dominica, non autem differri ad quindecim dies.* 5 Apr. 1752, atque

ex ipsis Rubricis. Monet vero Provincialis Veneta Sancta Synodus curam pastoribus adhibendam, *ut indubitanter certoque sciant vinum, quo in Missa Sacerdos utitur, ex uvis fuisse expressum, ne ex defectu materiae vini Sacrificium nullum evadat:* quod maxime id temporis, quo luxit vindemia notatu erat dignissimum. Addendum externa vina, atque aliquando nostratia, tanta pollere vi, ut etiamsi multa diluta sint aqua, pura jejuno videantur. Quare caute incedant Sacerdotes, satius enim est, et jure sancitum tutam e communi vino adhibere materiam, quam excellentiori dubiam.

V. Volumus, et cum Praedecessoribus nostris suspensionis, ferendae tamen sententiae, poena indicimus, ut qui in Civitate, atque in Paroeciis, dummodo celebrent in pago ubi habitant, Ecclesiam ad Missam celebrandam, et Sacra Officia peragenda adeunt, talari cum manicis sint veste induti. Qui longiori gravantur itinere, vel nivium copia impediuntur, ea veste quae post genua dimittatur, ad templum veniant, sed sacrum sine talari facere non audeant. Itaque in omni Sacristia sit semper conveniens talarium vestium sine manicis copia, ut Sacerdotes advenientes indui possint. Si post sex a Synodi publicatione menses Parochi, et Fabricarii in omnium, ubi celebranda est Missa, Ecclesiarum Sacristiis facere neglexerint ibi ne Sacra fiant interdicimus.

VI. Jubet Provincialis Synodus Parochos et Vicarios Foraneos, eorum onerando conscientiam, *si quos noverint Sacerdotes sine debita praeparatione, et subsequenti gratiarum actione festinanter aut indevote, Missas celebrare, post unam alteramve correptionem in Domino factam, Episcopo denunciare, qui in contumaces poenam Suspensionis indicet, ne in eorum peccatis connivere videatur.* In mentem vero Sacerdotes revocent quae Trid. Conc. Sess. XIII. Cap. VII. docet, et quae anathema-

tizat, agens de Sacerdote in peccatis celebrante, et de fideli in peccatis communicaturo; atque insuper prop. 38 et 39 super hoc ab Alexandro VII. damnatas. Quod si cui, quod absit, peccatis obnoxio sit celebrandum, audiat is vocem Domini, et si contritus ad altare accessit necessitate compulsus, animo moerens cito Confessarium adeat, *nescit enim*, ait D. Ambrosius, *tarda molimina Spiritus Sancti gratia.*

VII. Meminerint Sacerdotes ad Rubricarum praecepta, sanorum pro interpretatione Theologorum, Matutinum cum Laudibus recitandum ante Missae celebrationem. Insuper et preces ab Ecclesia praescriptas decere ante Missam effundere; quare volumus ut in quavis Sacristia tabella *Praeparatio ad Missam* exposita sit.

VIII. Sacristia locus Sacerdoti datus, ut divinis se praeparet faciendis, est, non ad nugas et confabulationes. Custos et majores in Cathedrali, praepositi in aliis Ecclesiis, quorum conscientiam oneramus, Caeremonialis jussa impleant, omniaque loci dignitati male congrua impediant.

IX. Ad Missalis Romani normam Rubr. Gen. N. XV. Missa ab aurora ad meridiem tantummodo celebrari potest, nisi aliter privilegium, vel ipsa Solemnitas, Ecclesiaeque postulet necessitas. Sacerdos vero ne oscitans cum populi scandalo celebret, Missam, ut praecipiunt Rubricae, in Sacristia perlegat, et signacula ordinet.

X. Eleemosynae titulo taxa Sacerdoti celebraturo datur: ultra praescriptam Synodi Provincialis etiam Canonibus inhaerentes Sacerdotem sibi velle vetant. Quae super hac re licitum, vetitumque ad Apostolicas constitutiones Theologi satis abunde docuerunt.

XI. Quia vero pias fundationes fraudare nefas, (1) *si Missarum eleemosynae quae supersunt, quantocyus Missae celebrentur aut Episcopo denuncientur.* (2) *Maximum flagitium esset si pecuniae pro missarum celebratione obla-*

tae in alios usus, utcumque sacros, insumerentur. Attente igitur invigilent Episcopi, severisque poenis tantum nefas coerceant (3). *Onera missarum perpetua ne recipiantur sine assensu Episcopi* (4). *Pias fundationes omnes Nobis exhibere jubemus Ecclesiis praepositos, ut si qua sacra adimplenda supersunt impleantur.* Harum Elenchum conficient Parochi, vel Ecclesiis praepositi, eumque in tabula coronide cincta, et vitro protecta expositum in Sacristia habebunt, cujus exemplar Nostra in Curia deponent (4). *Meminerint Sacerdotes illicitum esse missarum eleemosynas recipere, quarum obligationi infra tempus praescriptum satisfacere non possunt* (*b*).

XII. Adveniunt aliquando ab aliis Dioecesibus Sacerdotes celebraturi: ne in detrimentum hoc cadat, caveamus: (1) si Sacerdos sit probe notus, et pro Sacerdote habitu, moribus, incessu se gerat, per breve tempus utique celebret, diutius autem immorans Curiae se sistat, et sui testimoniales Episcopi offerat litteras. (2) Ignotus vero, dummodo talem se praestet, qualis sit oportet Sacerdos, si sui Episcopi praeferat testimonium, semel iterumve celebret, non autem in posterum, nisi venia a Nobis obtenta.

XIII. In qualibet Sacristia liber sit ubi legatorum Missae a Sacerdotibus celebratae scribantur; atque alter quoque, in quo quilibet Sacerdos cum celebraverit suum nomen Missaeque applicationem inscribat quavis die. Optimum autem erit, quod et praecipimus, ubi populus pro devotione ad Sacristiam defert Eleemosynas pro Missis, si liber habeatur, quo missarum numerus, et eleemosynae, et dies, et Sacerdos qui onus impleverit designentur. Hi libri accurata sint in custodia. Si missarum eleemosynae cui Sacristiae vel Parocho supersint, quibus satisfieri non sit in Parochia possibile, Curiae resignentur quae obligationi occurret.



De Eucharistia ut Sacramento

Quam graviter, quam attento digna studio, quam profunda doctrina Tridentinum Concilium de Eucharistiae Sacramento disserit, et quanta perspicuitate credenda et facienda proponit! Legite Sess. XIII. de Eucharistia, atque aquas haurite Spiritus Sancti dono in vestram eruditionem, institutionemque emissas. Nos interim cum Provinciali Synodo, et Praedecessorum Statutis, quae ad hujus tanti Sacramenti honorem conducere arbitramur, observanda praecipimus.

I. Igitur, ut de Catechesi agentes indiximus, populum super ejus et re et effectibus, et super dispositionibus ad suscipiendum necessariis instruite. Pueros vero, qui doctrina et moribus apti videntur, quamprimum ne succrescente aetate, vitiis polluti, malis consuetudinibus irretiti, indigni fiant qui ad tantum Divini Amoris beneficium admittantur, confessione generali praemissa, ad sacram Mensam excipite. Hortamini vero simplicia illa corda, et virgineos adhuc animos ut saepe confiteantur, et cum Salvatore suo crebro conjungantur.

II. Laudamus equidem Sacerdotum zelum, qui festivo apparatu quos probaverint, omnes simul, stata die, communicandos recipiunt. Verum hoc caute fiat: ne quos repellere est, pudore affecti contritionem emendationemque mentientes, vel damnoso silentio absolutionem, atque Eucharistiam carpentes, solemnem salutis diem, in sacrilegam perditionis diem miserrime convertant.

III. Quotannis, saepe, atque in Quadragesima maxime Paschalis in sua quisque Parochia Comunionis praeceptum in

memoriam revocate, et poenas in negligentes indictas. Super qua re monete e prop. 55 inter damnatas ab INNOCENTIO XI. sacrilegio praecepto non satisfieri. Renitentes corripite, obstinatos ad Nos adducite, ut paterna charitate miseris illis medeamur animabus. Volumus autem cum Praedecessoribus Nostris, ut in solemnibus Communionibus masculi a foeminis distincti accedant, etiamsi de prima puerorum Communione agatur.

IV. Ad Ritualis Romani praescripta arcendos repellite, ne peccatis eorum et sacrilegiis consentientes, animae vestrae ruinam, populo peccatores publicos, obstinatosque communicare videnti scandalum inferratis. Legite Joannis Chrysostomi monita, quae habetis Feria 2. infra octavam Corporis Christi.

V. Solet, et Tridentinum jubet, et Provincialis Synodus inculcat, Eucharistia deferri ad infirmos. Praedecessores Nostri jubent Sacerdotes, et Clericos Christo infirmum adeunti devote comites fieri. Illud addunt, ut pridie diei, quo Eucharistia afferetur, signum Campanae dent, et moneatur populus. Quod cum fieri potest optimum est; et maxime fieri jubemus quando Paschali tempore Eucharistia reficiuntur infirmi. Processio solemniter incedat, solemniter redeat in Ecclesiam, juxta Ritualem librum, et benedicto populo Indulgentiae publicentur.

VI. *Decentissimo in loco, ad normam Ritualis Romani composito et circumornato SS. Eucharistia servetur, et lampas semper colluceat olivarum oleo nutrita* (*c*). Tabernaculum sit intus panno serico albi coloris indutum, conopaeis amictum, clave argentea clausum: corporale aptum et nitidum: ostensorium cum Hostia chrystallo instructum: Pixides duae conopaeis albis ornatae, vel saltem una, dummodo aliqua adsit ad deferendum Viaticum, ne tabernaculum unquam vacuum sit. In tabernaculo nihil aliud nisi Eucharistia ponatur, non si et e Sanctissi-

ma Cruce adesset Reliquia. E S. R. C. Decretis autem e recentibus hostiis quavis octava die Sanctissimum Sacramentum renovetur.

VII. Cum extrahitur Eucharistia tabernaculo, Sacerdos veste talari, superpelliceo, stolaque sit indutus: ardeant saltem duo cerei: cum defertur, si fieri potest, adsint Clerici cum luminibus accensis, Sacerdos vero et albo velo cooperiatur super caeteris vestibus, sub umbella vel baldacchino procedat. Crux paeeat, sit thuribulum fumigans, psalmi hymnique recitentur. Praecurrat etiam qui tintinnabulo populum de Christo adveniente moneat. Si viaticum remota in loca ferendum sit, Sacerdos decentiori quo potest modo incedat, pixide ita pectori alligata, ut ne qua ab itinere timeri possit irreverentia.

VIII. Quo cultu, qua publica solemnitate celebranda sit in die Corporis Christi festiva processio Rituale Romanum docet. Si per totam Octavam processio impediatur, ea est aliqua Dominica facienda, et diem determinare nostrum est.

IX. *Nemini liceat annuas perpetuasque Eucharistiae publicas expositiones instituere, et facere absque Episcopi licentia.* Ita decrevit cum Caeremoniali Provincialis Synodus, et Nos pariter ita fieri volumus. Quae consuetudine inductae sunt, ad Nos deferantur, ut videamus probandae ne sint. In memoriam pariter revocamus in solemnitatibus, quae ad Sanctorum honorem celebrantur, non posse populo benedictio cum Sanctissima Eucharistia impertiri.

X. Denique volumus, ut si Eucharistiae solemnis fiat expositio duodeviginti ardeant saltem in altari cerei, accensaque circumluceant intorticia. Saltem duo Clerici cum suis cottis Sacerdoti assistant. In Parochiis vero, ubi unus est tantum Sacerdos, sanctae Confraternitatis Sodales suis cappis induti in J. C. honorem circumstent.

Vos vero populum hortamini ut Jesum Christum, qui inter homines amicus et frater habitare non dedignatur, frequenti visitatione devoto pectore colat: ad eumque sive ad gratiam implorandam, sive ad solandos animi moerores, sive ad gratiarum actionem quam creberrime veniat; eoque adveniens populus vos inveniat verba operibus confirmantes. Usuveniet autem quam maxime, si Indulgentias Sacramentum visitantibus concessas aliquando enuncietis.

(*a*, Sess. XXII. Can. et Capitibus I. II. III. Min. P. *II*. C. IV. Suarez. Tit. XI. de Sacrae Missae. (*b*, Excerpta haec e Syn. Provinciali de Sacrificio Missae, sicuti et alia plura compendio allata. (*c*, Syn. Provinc.



DE POENITENTIAE SACRAMENTO

De laborioso Poenitentiae Sacramento, secunda post naufragium tabula, quae dogmata, qui oppositi errores, et pariter quae sit ejus necessitas, qui effectus, quae in suscipiente dispositiones, quae in ministro jurisdictio requiratur definivit Ecclesia, et Concilium maxime Tridentinum, copiosaque Theologi demonstrant eruditione. Quae scientia, quae prudentia, quae comitas, quae benignitas, quae paterna severitas debeat Sacerdoti inesse, ut bene hac artium arte regendarum animarum, et sacro misericordiae munere fungatur, etsi Theologi siluissent, ipsa Sacramenti officiique natura homini superbiae caligine non coecutienti satis abunde manifestum facit. Quare dum Sacerdotes hortamur, ut Poenitentiae Sacramenti Ministri esse velint, ne manuum impositio sit illis talentum humi ad socordiam defossum, hortamur pariter ut moralis atque asceticae studio doctrinae se instruant, et morum integritate se ad tantum munus comparari contendant. Nos ne exhortatio nostra in vanum recidat, haec constituimus et decernimus. Quare

I. Quod et Praedecessores Nostri, volumus, ut qui Confessarius futurus sit, Spiritualibus, nisi necessitas urgeat, ad ministerium se comparet exercitiis, et suae scientiae coram Nobis, vel Vicariis a Nobis deputatis periculum faciat. Quin etiam quotannis, quoad Nobis videbitur, exceptis Parochis et Poenitentiario, nisi aliter, quod absit, necessitas suadeat, Confessarii omnes novo se subjiciant examini.

II. Sciant Sacerdotes jurisdictione opus esse Confessa-

rio. Quare ne quis non approbatus, excepto tamen articulo mortis, deficiente tamen eo tempore approbato, vel eo a Bulla *Sacramentum Poenitentiae* impedito, confessiones etiam puerorum excipere audeat. Approbati autem loci, temporis, facultatis limites in patente definitos ne transgrediantur.

III. De Regularibus nihil innovamus. Norunt ipsi et privilegia et fines sibi a jure praescriptos. Hortamur ut in suscepta prudenti operis ratione progrediantur.

IV. Ne Confessarii scriptorum aliquando fallacibus decipiantur opinionibus, legant prop. ab Alexandro VII. praesertim atque Innocentio XI. damnatas, Regulas Indicis, et quae supra notavimus de libris prohibitis. Huc addimus ad cautelam prop. ab Alexandro VII. damnatam: *Libri prohibiti donec corrigantur possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.* Caveant vero, ne invalescentibus irretiti opinionibus, saeculi doctrinis mala cum philosophiae pompa blandiantur memores quod dubius in fide haereticus est.

V. Cum maximo sint scandalo Confessariorum diversae sententiae, quin etiam imprudens vel facilitas, vel rigor, indicimus Confessariis ut Divi Alphonsi de Ligorio doctrinam, quam tutam ab omni parte Sancta Sedes declaravit, omnino sequantur: nulla tamen contrariis, quas Ecclesia non proscripsit, opinionibus irrogata nota. In quam rem et illud recidit, ne scilicet in Sacrarium alterius Sacerdotis judicia vestra inferatis damnantes quod ille duas intra Cruces censuit, et ne nimia facilitate, et non vestigatis causis deficientes a suo Confessario recipiatis: magna enim mala inde saepe obveniunt.

VI. Moneantur a Confessariis, et Praedicatoribus parentes, et qui in familia dominantur, de debito quo tenentur adducendi ad Confessionem pueros rationis usum attingentes. Puerulos vero Confessarii singillatim audiant,

interrogent, corrigant, non vero quasi ad Catechismum simul plures excipere ad Poenitentiam fingant: ex quo abusu gravissima egeruntur saepissime scandala.

Illud et optandum ut pueri semper eundem adeant Confessarium, qui possit usu eorum cognoscere malitiam, atque etiam, si videbitur, prudenter absolvere. Meminerit Confessarius pueros etiam, qui necessaria norunt, vere contritos jus habere ad absolutionis gratiam: ne si moriantur solummodo imperfecta contritione tacti et pereant, ipse animarum sua culpa perditarum durissimam Deo reddat rationem.

VII. Excipite et juvate perfectioris vitae studiosos. Verum *probate spiritus si ex Deo sint,* ut monet Epistola I. S. Joannis Cap. 4. neque tam faciles vos praebeatis nonnullorum pietati, qui castae et virgineae vitae amore videntur accensi; ne postea frigescente, quem animo conceperant fugacem ignem, ii evadant qui inter viduas a Paulo in Epistola I. ad Timotheum Cap. V. damnatas numerentur. Ex hac enim imprudenti facilitate eo aliquando deventum est, ut qui sanctitate praestare credebantur, fiant Confessariis et familiae taedio, scandalo genti, atque ex ipsis votis sibi faciat damnosum Satanas proventum.

VIII. Satisfactionis imponendae modum a Ligorio discite; et super ejus necessitate prop. 16. et 22. ab ALEXANDRO VII. damnatas legite. Illud cavete, quod si Missarum eleemosynas, pauperum misericordias, pias expensas in satisfactionem jubeatis, ne vos ipsi, rem pecuniamve accipientes, aliquam in vos suspicionem excitetis. Quae vero ratio differendae vel concedendae sit absolutionis, qui dimittendi in aliud tempus poenitentis modus Sanctus ille Ligorius recte docebit.

IX. Parochi, et Concionatores revocent populis in memoriam annuae Confessionis praeceptum, neque praeter-

mittant prop. 14 ab Alexandro PP. VII. damnatam: *qui facit Confessionem voluntarie nullam satisfacit praecepto Ecclesiae.*

X. Docet Tridentinum Cap. VII. et Can. XI. quale sit Episcoporum jus, ut atrociora sibi crimina reservent. Noveritis nullum, qui in reservata jurisdictionem non obtinuerit, absolvere ab illis posse. Quae a jure sunt reservata crimina e Theologis didicistis: Nos apposita in pagella peccata quae reservamus cognitioni vestrae proponimus.

Casus Reservati

1. Blasphemia haereticalis in quocunque casu: item quaecunque alia in Deum, Beatissimam Deiparam, et Sanctos, dummodo fuerit per tres vices post ultimam confessionem prolata.
2. Perjurium judiciale.
3. Patris et Matris percussio tam ex odio quam ex contemptu.
4. Homicidium voluntarium non solum quoad committentes, verum etiam quoad mandantes, consilium aut auxilium praestantes.
5. Procuratio abortus tum opere, tum consilio, etiam si effectus non sequatur.

Nota = Quod si abortus fiat foetus animati, quicunque illum procuraverit non solum incidit in casum reservatum, sed etiam in Excommunicationem ex lege Gregorii XIV. in Constitutione *Sedes Apostolica*, a

qua nullus omnino absolvere poterit, etiam si habeat facultatem in Reservata, sed *toties quoties* ad Nos recurrendum erit.

6. Copula inter Sponsos ante Matrimonium quoad mares.
7. Divinationes, maleficia, et quodcunque genus aliud superstitionum, cum abusu Sacramentorum, sacrarum rerum, aut sacrorum verborum, multo magis cum Daemonis invocatione.
8. Foedissima Sodomiae et Bestialitatis scelera consummata quoad mares tantum.
9. Omnis et quilibet actus libidinosus Confessarii cum sua Poenitente, vel Poenitentis cum suo Confessario, sive saepius sive semel Confessarius ejusdem Poenitentis Confessionem exceperit.
10. Incestus in primo et secundo consanguinitatis vel affinitatis gradu quoad utrumque sexum: item copula inter cognatos cognatione spirituali.

    Nota = Quicunque incestum in primo vel secundo affinitatis gradu commiserit, is privatur jure petendi debitum conjugale; nec facultas a Nobis Confessariis concedenda absolvendi ab hoc casu valebit ad dispensandum super privatione hujus juris: sed *toties quoties* casus iste contigerit, a Nobis erit, seu a nostro Generali Vicario impetranda facultas.
11. Lenocinium Parentum ad deflorationem Filiae, et Mariti ad adulterium Uxoris.
12. Cohabitatio eorum, qui vixerunt in concubinatu (dum copula fuerit cum scandalo) etiamsi asserant, se caste vivere.
13. Occultatio dolosa legatorum ad pias causas: item occultatio, vel usurpatio, seu detentio dolosa Scripturarum, rerum, bonorum ad Ecclesias, Ecclesiastica beneficia, vel pia loca spectantium; necnon falsificatio Scripturarum in grave alterius damnum.

14. Sollicitatio ad turpia juxta pervulgatam Benedicti XIV Constitutionem, quae incipit: *Sacramentum Poenitentiae.*

Nota = Declaramus insuper ademptam esse facultatem omnibus Confessariis cujuscunque status, ordinis, aut dignitatis sint, tam jurisdictione ordinaria, quam delegata praediti absolvendi complicem peccati contra sextum Decalogi praeceptum; etiam si actus externus fuerit ex dispositivis tantum ad copulam, et quocunque modo castitati contrarius.

15. Seductio per doctrinam ad fornicationem; scilicet cum quis insinuet esse quandoque licitam, cujusquam gradus aut status sit seductor.

XI. Sacramentum Poenitentiae decet, ut caetera in templo a Sacerdote talari veste, cotta, et violacea stola induto ministrari. Verum quoad virorum confessiones et indumenta, usus, quem Rituale Romanum non proscripsit servetur. Sed mulieres, nisi surdiusculae sint in Ecclesia in Confessionali ad normam alibi praescriptam debent ad sacrum Tribunal admitti. Earum confessiones ab aurora tantummodo ad vespertinum crepusculum excipiantur. Si quid contra sit opus, facultas a Nobis petenda erit. Tollantur omnino Confessionalia pro mulieribus, si quae sint, in Sacristia. Domi vero, nisi morbi causa, foeminas excipi nefas; et morbo etiam laborantes audiantur apertis januis, ut et pericula, et suspiciones omnes amoveantur. Hac super re meminerint Confessarii legem hanc et puellulas complecti quae pubertatem non attigerunt: sexus enim non aetas in lege notatur. De caetero Confessarii attente legant patentem, qua facultas iis facta est Confessionum excipiendarum.

Ne plura sequamur, hortamur vos, atque obsecramus, ut si semper in hoc maxime Sacramento vos exhibeatis attentione ac pietate, et studio sicut Dei ministros, et fideles dispensatores multiformis gratiae Dei: ut quem laborem insumitis, in animarum salutem, et vestrum ad coelos meritum fiat, non in vestram, quod Deus benigne avertat, aliorumque perniciem. Qua in re videte ne rudes praesertim, qui facile necessaria vel ignorant, vel imprudentia negligunt, absolvatis antequam Contritionis actum emiserint; potest enim accidere ut accusatione peccatorum contenti quod majus est obliviscantur, et Confessionem si non sacrilegam nullam efficiant.



DE EXTREMAE UNCTIONIS SACRAMENTO

Clementissimus Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis aliis praeparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviore spiritus incommodo possint, ita Extremae Unctionis Sacramento finem vitae, tanquam firmissimo quodam praesidio munivit. Nam etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam quaerat, et captet, ut devorare animas nostras quoquo modo possit: nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes suae versutiae nervos intendat ad perdendos nos penitus, et a fiducia etiam si possit divinae misericordiae deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitae prospicit (*a*). Nec plura e Tridentina Synodo afferamus, haec enim satis esse arbitramur ad excitandos Parochos maxime ut aegrotos discrimen vitae subeuntes tanto misericordiae opisque divinae beneficio sollicite donent. Caetera capita, et Canones, et Theologos de hac re tractantes legite et considerate, ut et doctrinae vestrae consultum sit, et populum apte instituere valeatis.

Nos interim cum Rituali libro, et Provinciali Synodo, et Praedecessoribus Nostris, volumus:

I. Ut in Catechesibus maxime Sacramenti hujus utiles ad salutem effectus populum edoceatis, vosque ipsis humana verecundia majores graviter aegrotantes ad illud disponatis.

II. AEgrotos Parochi saepe visitent, *quorum notam seu cathalogum habere juvabit.* Sic monet Ritualis liber de visitatione, et cura infirmorum, ut opportuno tempore

et quidem si fieri possit cum illis adhuc integra mens, et ratio viget, ut ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam ipsi etiam suam fidem, ac piam animi voluntatem conferre possint dum sacro liniuntur oleo.

III. Qua majori possit solemnitate, pro circumstantiis, afferatur et ministretur. Adstantes autem moneantur ut orent, et precibus infirmi animam juvent. Ad hoc curent Sacerdotes ut in aegri cubiculo omnia decenter, atque ad Christianorum morem disponantur.

IV. Sacerdotes Oleum Sacrum loco decenti, ornato, et securo servent, quanti faciant ostendentes; vas continens sit solido e metallo; decenti bursa custodito.

V. Dum deferunt autem, quid sibi agendum considerent, atque ut de Sacramentis in genere dictum est, nec fabulentur, nec nugis recreentur.

Noverint autem Sacerdotes aegrotorum Confessarii monendos esse eorum Parochos; Viatici namque atque Extremae Unctionis Sacramenta ad eos, excepta necessitate, de jure pertinent.

Oramus denique ne collato Sacramento infirmum relinquant. Antequam ille moriatur, Pontificiae Absolutionis, cujus facultatem impertiendae obtinuerint, consolatione confortent; in extremo agone salutaribus et prudentibus monitis praescriptisque precibus juvent; ut ejus anima ex hoc mundo profectura, quam rectius in coelum tendat, et Christi complexum in aeterna felicitate consequatur.

(a, Conc. Trid. Sess. XIV, De Extrem. Unction. proemium.



DE SACRAMENTO ORDINIS

Quanta animi trepidatione ac reverentia suscipiendum, quanta cura et prudentia ministrandum sit Ordinis Sacramentum e primo ipsius patet conspectu. *Sacerdos* enim *ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat sacrificia et dona pro peccatis, qui condolere possit iis, qui ignorant et errant, quoniam et ipse circumdatus est infirmitate, et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis: nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron. Sic et Christus* (*a*). Ecce continua et non intermissa vigil animi custodia ne peccet, vel si peccaverit, non moretur poenitentiam, et citissime reparetur. Ecce totius vitae in Dei gloriam et populi salutem perpetuum holocaustum. Ecce dignitas humani cordis desideria praetergrediens. Quod si plura velitis, vos quoque Christus edoceat qua missione, qua potestate, quo charactere magnificetur Sacerdos: dixit enim: *sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (*b*).

Nos Sacerdotii Candidatos, et Sacerdotes ipsos respicientes, alibi agemus de eorum institutione et moribus. Modo cum Sacris Canonibus, et Provinciali Synodo de promovendis nonnulla praescribemus. Credimus vero Nos non aequo rigidiores esse judicandos, si promovendorum vitam sanctam esse velimus, et si antequam consecremus, de ea sedulo inquiramus: ait enim Paulus: *manum cito nemini imposueris* (*c*). Sic Clericali militiae conscribere, vel conscriptos promovere sperabimus, quos quantum humana fragilitas nosse sinit, judicandum est tales futuros, quales Christus exposcit et probet. Itaque

I. Quos Sacri Canones rejiciunt et Nos rejiciemus; et si exceperimus cum manifesti Nobis erunt, dum in minoribus sint, amovebimus, si in majoribus ordinibus, cum illis pro jure agemus.

II. Nullus sine Nostra venia Clericalem habitum induat: quam non dabimus nisi duodecimum, exceptis particularibus casibus, annum attigerit. Sciat vero qui postulat ad aeternam salutem necessaria, et Sacramentorum frequentiae et bonae vitae testimonium a Parocho afferat: sciat legere et scribere, spemque praebeat futuri in doctrina profectus.

III. Qui Tonsuram et Minores Ordines postulat praeter supradicta, et congruam suscipiendi gradus cognitionem, et linguae latinae studium suae scolae respondens tentamine coram Nobis, vel Vicariis delegatis habito probet.

IV. Ad Subdiaconatum promovendi patrimonium possideant, in suo jure, non fictum, ad Canonum normas, cujus reditus sit florenorum argenteorum centum, vel beneficio canonice sint investiti, cujus reditus ab oneribus liber illum patrimonii exaequet.

V. Ante Ordines suscipiendos exercitiis spiritualibus Clerici omnes comparentur; tribus quidem diebus ante minores, decem vero ante majores. Testimonioque probent se, illo quem praeposuimus dirigente, pie et sollicite perfecisse.

VI. Antequam aliquem ad Ordinem promoveamus, scientiae suae periculum coram Nobis, vel Vicariis a Nobis deputatis faciet. Examen hoc circa illa versabitur, quae Ordinem, ordinisque officia, ac ministerium respiciunt; eaque etiam complectetur, quae a Sacris Canonibus ad illum Ordinem suscipiendum requiruntur, necnon et adjuncta quae scire necesse est promovendum. Quare illuc adjungimus ejus Ordinis Caeremoniarum et Ministerii ritus se callere probabit: ideoque Magistri Caere-

moniarum testimonium afferet, quo demonstret ea se cognoscere et praxi exercere quae ad ritus, quem suscipere petit, Ordinis pertinent.

VII. Cantus Gregóriani scholam assidue, attenteque Ordinandi se frequentasse, testimonio Praeceptoris, qui in Seminario docet, comprobabunt. Negligentes Nos non promovebimus.

Cum Provinciali denique Synodo Parochos et Sacerdotes, quibus et facultas et tempus suppetunt, hortamur et obsecramus, ut, dum tanto Sacerdotum laboramus defectu, omnimode curent, ut pueri, qui bona indole, christiana catechesi, bonis moribus, Sacramentorum amore, docilitate, ingenio spem afferunt, ut vocentur ad Sacerdotium, litteris et bonis disciplinis instituantur, eos parentesque excitent, moneant, regant, juvent: quis scit an ex eorum cura Deus Sacerdotes sibi fideles suscitet, et tantae Dioeceseos necessitati consulere dignetur? Quod si adolescente aetate ad alium diverterint statum, se in vanum laboravisse non conquerantur: probos enim homines, si non Clericos, Paroeciae dabunt, qui cum fuerint bonus odor in Christo, verbo atque exemplo, in populi aedificationem erunt Sacerdotio, atque Ecclesiae consolationi, et subsidio.

(*a*, Ad Hebr. VIII. 3. (*b*, Joann. XX. 21. (*c*, Tim. III. 22.



DE MATRIMONII SACRAMENTO

Stabile viri foeminaeque consortium, cum mutua corporum, amorisque, nullo unquam utriusque vitae spatio violanda, et sacro jurata foedere traditione, ex quo familia exorta in totius humanae societatis fundamentum atque exemplar succrescit, Matrimonium scilicet, in ipso mundi exordio a Deo Creatore institutum, benedictum, et suis vel juribus vel officiis constitutum, ut specie tenus terrena firmaret, re vero altiora ac coelestia in plenitudinem temporum adumbraret, a Christo Domino nostri generis reparatore, atque amplificatore, qui dum novum suo Sanguine signabat, vetus implevit Testamentum, lapis enim est angularis, qui facit utraque unum, primo in Galilea sanctificatum, et postea cum sanctificantis gratiae dono ad Sacramenti dignitatem evectum fuit. Mirum equidem est, quanta in ejus institutionem inferni rabies exarserit, quot quantisque artibus ejus labefactare sanctitatem, quibus vel cavillationibus vel insidiis subvertere primaevum ejus ordinem, et divinum quasi collatum honorem peccanti fumo inspergere sit conatus humani generis hostis, *in hypocrisi loquens mendacium, et prohibens nubere* (*a*), ut immissis concupiscentiae habenis, animas foeda sensuum turpitudine pollutas faciliori tramite in vitae confusionem, dum terreno peregrinantur in exilio, et dein in sempiternum detraheret horrorem. Cognitae vobis sunt tot antiquitus apud Hebraeos inventae legum interpretationes, tantopere a Deo per Prophetas suos loquente reprobatae: cognitae haereses ab usque Pauli temporibus exortae, quae hoc novi foederis Sacra-

mentum inquinare studuerunt: cognitae quae e Protestantium consiliis, ex incredulorum sophismatibus, e libidinis astutia divulgatae sint opiniones, quae Matrimonii jura, indissolubile vinculum, sanctissima officia laederent, frangerent, subverterent. Quare animarum Pastores, Catechistae, Concionatores, vos omnes, quibus coelestis Jerusalem commissa custodia est, state in fide, vigilate, ne docere cessetis, quanta Sacramento huic debita veneratio sit, quanta pectoris integritate suscipiendum, quanta vigilantia ejus gratia per totius vitae cursum, et qua puritate servanda. Sacrae vobis novi paginae Testamenti, Conciliorum, et Tridentini maxime definitiones, sanorum scripta Theologorum, quae de illo tradenda sint dogmata, suggerunt: ex his doctrinam in populum derivandam haurite, et gentes a maligno lascivientis perfidiae contagio defendite; atque in accepta de magno hoc Sacramento fide labore omni, et tota zeli sollicitudine confirmate. Ut vero et rite Sponsi ad illud suscipiendum disponantur, atque in suscepto cum innocentia permaneant, cum Provinciali Synodo, et Praedecessoribus Nostris volumus:

I. Ut memineritis ad Matrimonium non esse admittendos, qui Sacramentorum indigni, vel incapaces haberi debent. Quare neque denuntiationes fieri debent dum contracturi necessaria ad salutem ignorant. Quod si in ceteris in hoc maxime Sacramento animadvertendum est; ex hoc enim cum proles enascatur, a parentibus primum est erudienda; quae vero institutio ab ignorantibus dabitur? Magnum sic conjugalis status officium in peccatum perenne atque in damnationis occasionem convertitur. Praeterea utne sacrilege ad Sacramentum accedant hortandi sunt, ut Sacramento Poenitentiae ad illud contrahendum parentur atque ad gratiam sibi necessariam impetrandam Eucharistia reficiantur.

II. Magna sunt sive servandae fidei, sive mutui conju-

galis officii, sive educandae in sanctitate semper sed et in sua conditione prolis munera, quae divinum eflagitant pro tanta hominis debilitate auxilium. Quare quam maxime, sed tamen caute, et nimia penitus remota severitate, curate ut illam amorum consuetudinem tollatis; amantes nunquam soli, ac liberi conversentur; raro, si possibile sit, invisantur; et modesto incessu invicem aedificentur: ne Sacramentum, cujus gratia conjugalis vita sanctificanda erat, in divinae irae argumentum, malis artibus, et peccatis ad suam mutent perniciem. Parentes vero monendi, ut invigilent, et juvenes Matrimonio conjungi optantes a peccati occasione praeservent. Vos vero laxiores nonnullorum sententias, a Pontificibus damnatas, super osculis atque actibus legite, et sive catechizando, sive, quod melius, Poenitentiae Sacramentum ministrando in correctionis atque admonitionum normam habete.

III. Matrimonium praecedunt sponsalia, ex humana volubilitate, litigii saepissime causa. Ut recte fiant, et rectam sine murmuratione ad metam sponsos deducant, vestrum erit, parentes primo docere, ne quid violentiae nupturientibus inferant: filios vero ut parentum consiliis pareant, atque in status electione auctoritatem venerentur, ne sua libertate abutentes, quartum Decalogi cum sua ruina praeceptum infringant. Secundo, rectum suscipiendi Matrimonii finem tradite, ne caeco libidinis furore ne lucri cupidine ad sponsalia deveniant, et spem pacis et concordiae irritam in posterum faciant. Tertio, vetate juvenes sponsalia sine vel parentum vel prudentium testimonio inire; ex hujus rei neglectu graves saepissime procedunt discordiae, et nonnunquam etiam irrita fiunt Matrimonia propter sponsalium, quae Parocho ignota sunt et parentibus, impedimentum (*b*).

IV. Denunciationes fiant tribus continuis festis, inter Missarum solemnia: neque illis expletis ut Synodus Petri

Mariae Suarez, Praedecessoris Nostri, constituit, illico Matrimonium benedictione sanciatur, sed saltem posterior dies expectetur, ut si qui impedimentum cognoverint, deferre ad Parochum possint. Si vero bimestre ab ultima denunciatione processerit tempus, sine illarum repetitione ne Parochus Matrimonio assistat. Quoniam vero nequeunt populi impedimentorum cognitionem Parocho afferre, nisi illa noverint, docendi sunt a Parocho in Catechesi, quae dirimentia statuta sint impedimenta, et quam grave peccatum sit illa reticere et Matrimonium contrahere irritum. Si ab impedimento (non tamen quod secretum Confessionis respiciat) sint dispensati Sponsi, in denunciationibus populus moneatur.

V. Alterius e Dioecesi si Sponsus adveniat, licet et in sua Parochia factae sint denunciationes, nullus Parochus sine Nostra venia benedicere Matrimonio ausit: excipimus tamen conterminas plebes, quarum invicem et gentes et Parochi cognoscuntur: tunc enim qui venit uxorem ducturus, si modo Parochi sui testimonia afferat, ad Sacramentum suscipiendum admitti poterit, quin a Curia facultatem exquisierit.

VI. Nostis vagos et quasi vagos et peregrinos, et milites dimissos qui domum redeunt ad contrahendum Matrimonium licentia indigere a Curia Nostra impetrata, saltem enim jurejurando volumus eos de sua libertate fidem facere coram Nobis, vel Vicariis a Nobis deputatis: milites vero, qui nondum a servitio liberati sunt, non debere sine facultate a Supremis Militiae Consiliis obtenta Matrimonium inire; quare si quis optaverit Matrimonium inire, ad Nos deferte, ut quae necessaria sunt, ad mala vitanda, impetremus.

VII. Quis Minister, quomodo, et quando ministrandum sit hoc Sacramentum e Theologis notum est, neque Nos iterum repetemus. Si quod oporteat Matrimonium vetito

tempore contrahi, a Nobis licentia petenda est, neque Parochi dispensandi jus habent.

VIII. Videant insuper Parochi, quod licet e conventione Pontificem inter et Caesaream Majestatem inita, Civiles leges Sacramento non officiant, integraque sint quaecumque Ecclesia jusserit, tamen pro civilibus effectibus eae adhuc vigent, et si quid regio jure Matrimonio obstiterit, antequam connubio benedicant, a civili auctoritate petenda est venia. Si quod dubium, si qua necessitas intererit, ad Nos deferant, ut consulere tempori studeamus.

IX. Hoc etiam vobis sit curae, ut qua concordia, qua fide, qua castitate, qua mutua indulgentia oportet sponsos in connubio manere doceatis. Discat vir caput esse mulieris, mulier vero sciat se in adjutorium viri formatam; et magnum esse quod contraxere vinculum, Sacramentum verum in Christo et in Ecclesia. Horum occasionem documentorum, si sapitis, Sacramentum vobis poenitentiae praebebit; non enim omnia Catecheses et Conciones super hac re pro prudentiae legibus sibi assumunt. Illud vero et publice praedicando et remotis arbitris in exomologesi crebro inculcate, prolem ideo datam, ut parentes coeli incolas multiplicent, atque ideo non suscepisse tantum laetentur, quam curent ut susceptam in fidei dogmatibus, atque in Christiana charitate, verbo et exemplo, disciplina et correctione Domini, paternum maternumque in veritate concipientes amorem, erudiant, et nutriant ad sanctitatem. Optimum vero erit si ad Missalis praescripta Sacerdos Conjuges, antequam ab altari dimittantur, sancto sermone alloquatur.

X. Cum vero saepe eveniat ut et conjugio juncti tribulationem carnis patiantur, et variis rapti concupiscentiis, quae militant in membris suis, hoc pacis atque amoris vinculum in discordiarum et malorum argumentum convertant; curent Parochi, ut invicem injurias sibi con-

donent, si quid dolent tolerent, molliter errantem conjugem conjux ad rectam reducat, et restaurata fide reliquum vitae tempus ad utriusque solatium, et prolis aeducationem deducant. Quod si vanae cadant Parochi sollicitudines, ne patiatur privato jure virum a muliere separari, sed ad Tribunal Ecclesiasticum deferat, ut sententia prolata quid sit agendum definiatur. Moneat interim, licet a thoro et mensa sit jure constituta separatio, castitatis servandae debitum non labefactari, et si quid pro libidine fecerint adulterii malitiam non imminui.

Quae Matrimonii leges, quae Tribunalis hujus officia instructione apposita declaratur; quam Parochos hortamur ut comparent, et meditentur.

(*a*, Ap. ad Timotheum IV. 23. (*b*, Synodus Provincialis, cujus verba in fine Synodi afferuntur.



DE SACRAMENTALIBUS

Certas aliquas ad pios usus consecratas res et benedictiones semper probavit Ecclesia, et nonnulla etiam imperavit, ut aqua est benedicta, et cum eadem aspersio, in ordinatione vero Lectoris benedictio fructuum novorum, benedictiones omnes in Presbyteratus collatione, ut ordinis officium recensentur. Quam sacra, quam veneranda sint haec omnia, neminem, cui Christiano sit vere nomen, latere potest; fovent enim pietatem, et ad gratiam implorandam maxime juvant. Quare et super his docendus est populus, ut quae in animarum salutem Ecclesia instituit, illis ad bonum utatur, et fide confirmatus consolatione divinitus data laetetur.

Verum quum saepe vel nimia credulitate, vel ignorantia, quandoque etiam malesuada avaritia sancta haec (quid enim violari et contaminari ab humana malitia non possit?) versa sint a plerisque in superstitionem, nonnulla praecipienda esse videntur, et cum Provinciali Synodo constituimus.

I. Itaque, sacras res discant populi veneratione summa colere; sacerdotali enim benedictione sanctificatas, divina etiam benedictione ornatas credendum est.

II. Sacra omnia ad quem Ecclesia constituit usum adhibeantur, et non alium: qui enim aliud quam Ecclesia intendit superstitione peccat.

III. Doceatur populus quae sint dispositiones, ut Sacramentalia salutarem producant effectum; maxime vero innocentia pectoris, vel cordis contritio et fides.

IV. Deterreatur populus a nimia in Sacramentalibus fiducia; saepe enim ad illa convertuntur vel malis suspicionibus ducti, vel ut divini spe auxilii curas vitent,

quas impendere debent, ut morbis medeantur, et sic non recte sperantes beneficia non consequuntur, et morbos incuria sua geminatos, ipsamque mortem patiuntur.

V. Sacerdotes caveant a benedictionibus quae in Missali Romano, vel Rituali non continentur; et si quid sit benedicendum, neque peculiaris ab Ecclesia instituta sit benedictio, dicto ℣. *Adjutorium nostrum* etc. et *Dominus vobiscum* etc., addant aliquam ab Ecclesia probatam orationem, quae divinum imploret auxilium, deinde aspergant aqua benedicta, vel etiam manu elevata, et Crucem formantes dicant: *Benedictio Dei Omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti,* etc.

VI. Noverint Sacerdotes quae reservatae sint benedictiones, quae ad jura parochialia pertineant, ab iisque caveant. Insuper ne occasione benedictionum quidquam petant, quod fortasse simoniacum saepe redolere potest.

VII. Denique, si quis benedictionem petens accedat, animum ejus explorent, atque an aliqua vel numero benedictionum, vel in Sacerdotibus eligendis, vel in desiderio Sacerdotis benedicturi praesentia superstitio inesse possit cognoscant: ut ne, dum bonum impertiri cupiunt atque arbitrantur, mala foveant, indignisque praebeant erroribus fomenta.

Dum tamen haec monemus, ne quaesumus, aliquis Sacerdotum Philosophi et viri praejudiciis expediti nomen affectans, superstitionis accuset quae vel in Rituali ante benedictiones atque exorcismos proponuntur, atque inde in populum dimanarunt, vel quae ubique a Christiano populo, Ecclesia nunquam contradicente, creduntur et fiunt. Saepe enim accidet, ut dum cum mundo superstitionem expellere velit, in fidei dogmata incidat, et decertans in somnia, veritatem cum suo damno, et populi scandalo impugnet.

FINIS SECUNDAE PARTIS

PARS III. CAPUT I.

De vita et honestate Clericorum

Attigimus saepe quae Clericos spectant, vestrosque excitavimus animos, ut sublimem hanc, Angelica majorem conditione, meditemini vocationem, erectique ad coelestia, terrena spernentes ad laboriosa ministerii opera alacres, hilaresque, et promptos vos exhibeatis. Magnum etenim inter Clericos adsciscì! quotquot in Clerum conscribimur pro gradu, ad quem elevamur, Christi legatione fungimur, ejus opera et merita suscipimus et ministramus, quin imo ipsius etiam, communicata aeterni Sacerdotii dignitate, personam gerimus. Quare, Clerici omnes, et Sacerdotes, audite et videte, atque inclinate aurem vestram, et obliviscimini populum vestrum, et domum patris vestri Adam, et Christum induti, de vestra dignitate, Angelis atque hominibus daemonibusque spectaculum facti, gloriantes, ad omnia officii opera vos comparate; non vos labor frangat, non mundi illecebra molliat: mediis in tribulationibus, superabundantes gaudio, quod dum initiaremini dixistis, iterum toto corde dicite, *Dominus pars haereditatis meae et calicis mei, tu es qui restitues haereditatem meam mihi.* Vae Sacerdoti manum ad aratrum mittenti, et retro respicienti! Jam Christo

non dignus, cum Christo non est, contra eum est, et dispergit. Non equidem nos mala suspicione ducimur, neque quemquam carpere animus est: verum ab humana conditione, et spiritalibus hostibus timentes, cum Sacris Canonibus, et Provinciali Synodo vestris periculis subvenire curabimus, vosque paternis sive monitis, sive praeceptis muniemus. Sint haec quae proponimus et constituimus currenti calcar, cessanti operosi causa propositi, sint erranti meliora instituendi argumentum.

I. Itaque quod primum exposcimus, Pauli verba ad Timotheum attente meditamini: *Labora sicut bonus miles Christi Jesu. Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus, ut ei placeat cui se probavit* (*a*). Duo hic vobis occurrunt consideranda. Alterum illud quod tam saepe, et tam gravibus verbis et legibus Sacri Canones percelluerunt, negotiationem scilicet, quaecumque illa sit, et quocumque obvoluta nomine. Nec plura. Moralistas consulite. Hoc unum addimus; si quos negotiatores invenerimus Clericos, pro Ecclesiae jure puniemus. Alterum vero, quod forte non semper, neque ab omnibus considerari solet, hoc Paulus monuit, necesse esse ut ab illis mundanae vitae curis se Clerici abstineant, quae ad Deum, seu quod in idem recidit, ad ministerii finem non ducunt. Itaque a mundo non tantummodo opera, sed et divertendus Clerici animus: ut enim inquit Magnus ille Gregorius, *sicut mors corpus interimit, sic ab amore rerum corporalium aeternae vitae charitas occiditur* (*b*). Itaque ne quaeso, cum tot saecularibus vos abdicastis desideriis, et suscipientes ordinem *existis ad Christum extra castra improperium ejus portantes* (*c*), vanis illecti speciebus, peregrinisque doctrinis, terrenisque labefactati spebus a dignitate deficite: vosque non externo solum incessu, sed interiori animo Christi ministeriis integros sanctosque servate. AEternis formati consiliis, cur

mundi, cujus semper praeterit figura, vicibus fatigamini? State in fide, viriliter agite et confortamini.

II. Oportet vos populi forma sitis. Quare eos vos praebete moribus, incessu, conversatione, quales decet esse Christi ministros atque intimos: omnem malam vitate speciem, ut ne pusillis, Pharisaeos enim omnia culpantes omittimus, fiatis scandalo. Itaque (1) qui in Clerum assumitur, vestes induat fusci coloris, honestas, simplices, a mundana pompa abhorrentes, ita aptatas ut indusium non appareat, et quarum superior ultra genua per diem, dum domi, vel in via versatur descendat. (2) Vetamus cum Sacris Canonibus comam alere, atque ad saecularium usum discriminare; qui vero tonsura sit insignitus, eam semper patentem, pro ordinis gradu, ferat. (3) Prohibemus pariter collari substitui vittas, aliave in saecularium morem. Volumus autem ut collare sit ita instructum ut pendula ab ipso tela, pro qualitate Clerici colorata, pectus atque interulam tegat. (4) Ecclesiam Clericus ad officia ingressurus talari semper utatur cum suis manicis. Excipimus Sacerdotes qui Missam dissito in loco celebrare habent, de quibus supra dictum est; et qui ab Ecclesia distant, dum nives pluviaeque poderem impediunt: hi enim in Sacrario sument. (5) Penitus illas inhonestas prohibemus brachas ad pedes usque deductas, et calceis alligatas quas vulgus *Calzabraga* nuncupat: indignae sunt enim Sacerdotali honestate. (6) Galerum Clericalem Clerici nondum Sacerdotes consecrati, et talarem vestem semper deferant: temporum inclementiam, vel itineris occasionem excipimus, tunc enim superiori oblonga uti poterunt. Qui vero Sacerdotium susceperunt dum poderem deferunt et pallium pariter, et galerum Clericalem habeant: in caeteris ordinario tegantur; dummodo tamen partium studia neque illo neque vestibus indicent. (7) Monemus autem omnes vetari colorem vestium, qui

dignitatibus datus est, sibi sumere dignitate carentes. (8) Ocreas laneas aestivo autumnalique tempore interdicimus: hyemali concedimus. (9) Ad Missam celebrandam ne quis, exceptis quae supra de talari veste diximus, cum tibialibus accedere audeat. Super quibus, si qua violata cognoverimus, in peccantes animadvertemus juxta Trident. Sess. XIV. Cap. VI. de Ref. et Sess. XXII. decr. C. I.

III. Qui in Clerum eligitur constituitur in iis quae sunt ad Deum. Ecclesiae itaque solemnitates juvent, hortamur, Sacerdotes, neque per eos fiat ut viae Sion desolatae lugeant. Si quos negligentes comperiemus, notabimus pro nostro officio. Clerici vero, jubemus, semper solemnitatibus assistant: negligentes, ut Sacerdotali spiritu vacuos, et vocatione deficientes nunquam promovebimus, quin imo et Sacra veste privabimus.

IV. Meminerint Clero adscripti pietatis ardorem saeculi contactu saepissime tenuari, interdum penitus evanescere. Hortamur itaque, ut saecularium, eorum maxime qui fortes haberi student, et religionem parvifacere jactant, consuetudinem vitent. Symposia cum illis ne misceant, neque se illorum conversatione contaminent. Si urbanitas, si necessitas cum illis diversari cogat, eum se Clericus et Sacerdos ostendat, qui quodcunque peccatum redolet, vel male religionem sapit, horret et refugit. Illorum irrisiones forti pectore spernite; illorum plausus detrimentum putate. Quare et hortamur, ut in locis, quibus vulgo nomen *Caffè*, ne consuetudine adsint, vel diu immorentur. Cauponas vero, nisi itineris urgeat causa, adire penitus vetamus: quin imo Praedecessoris Nostri Andreae Minucci exemplum sequuti, eos qui potationis causa ad Cauponas per tres vices in anno diverterint, ad mensem suspensos declaramus, si in Sacris Ordinibus sint constituti; Clericos vero Minorum Ordinum Clericali veste privabimus. Choreas sive publicas sive privatas,

ludos lege damnatos, vetitam Canonibus venationem pari poena interdicimus. A Theatrorum spectaculis abstinere jubemus omnino. Qui quovis praetextu Scenicis intererit, noverit sive nostras sive extraneus (de qua re in qualibet Sacristia monitum appendatur) quod qui praecedenti sero theatro adstitit, atque hoc est e Synodo Provinciali, crastina die Missam celebrare prohibetur; nostrates vero Sacerdotes, si ad Nos tale facinus delatum sit, suspensionis indefinito ad arbitrium nostrum tempore duraturae poena plectemus.

V. Clericus ita se domi gerat, ut videatur bonorum morum custos, et vitae exemplar: obsequium erga parentes, fraternitatem cum cognatis, charitatem in servos exerceat: discordias ipse vitet, aliorum molliter componat. Si vero praesit, talem se praebeat, ut Christi se ministro non hero sentiant domestici subjectos.

VI. Mulierum consuetudinem vitet Sacerdos, neque illarum se decipi pietate sinat: quin imo pias illas, et devotas foeminas, quae ferventi in Deum charitate vivere videntur, non tam saepe invisat. Saepe enim intercidit, ut de divinis confabulantes, ex inconstantia concupiscentiae transvertantur sensu, et, quod gravius, ad caecitatem, sine malitia. Cum vero discipulo magna intercedat cum magistro necessitudo, et mutuae vices, ne sit doctrina periculo, vetamus quemlibet Sacerdotem puellarum curam suscipere docendarum, nisi veniam, quam caute solummodo dabimus, impetraverit. Sic Proviuciali Synodo de vita Clericorum disserenti visum.

VII. Quod Synodi omnes, et Veneta Provincialis Canonum praescripta facientes, vetuerunt, Nos quoque severa poenarum interminatione vetamus, Clericos cum mulieribus, si qua oriri possit etiam leviter probabilis in populo suspicio, commune habere contubernium. Non enim innocentia satis est Clerico, sed et bonum est opus

nomen, potius divitiis multis, *ut is qui ex adverso est vereatur nihil habens malum dicere* (*d*): quod si in caeteris in mulieribus maxime, quae malam facile inurunt notam, animadvertere est. Quapropter *vetatur Sacerdos cum quacunque muliere sibi conjuncta, et aetate etiam provecta cohabitare, si suspectae sit vitae. Qui secus fecerit ab Episcopo puniatur. Sacerdotis famula praesertim si solus cum sola degat, non modo honestissima sit, sed etiam aetatis Canonicae, ut famae consultum sit* (*e*). Praedecessores Nostri quadragesimum in ea annum requirunt, hunc et Nos.

Quoniam vero et honesti sub operis specie, si prudentia desit, sibi ruinae causam, susurronibus dicteriorum ansam, populo scandali occasionem praebere Clericus potest, Sacri Canones prohibuere non tantum inhonesti illecebra amoris, sed cujuscunque etiam pietatis ostentato praetextu Clerum domi extraneas habere mulieres: et Tridentinum Conciliorum veterum praescripta confirmavit, et Synodi omnes gravissimas transgressoribus minatae sunt poenas. Quam graviter Cyprianus, quam acriter Gregorius Theologus, quam severe Hieronymus Agapetarum, Sinisactarumque contubernia percelluerunt; et quibus fictam illam erga extraneas charitatem argumentis exagitaverunt! Quot Canones fucatam pietatis speciem damnaverunt! Itaque vos extranearum contubernia, Ecclesiae praecipienti subjecti, vitate: necessarias tantummodo, si bonae sint famae, in partem domesticae curae adhibete; famulas honestas, et jam quadragenarias in servilia opera assumite; cum iisque vivite, atque agite ita ut si tecto junguntur, a vestro pectore divisae penitus omnibus cognoscantur. Qui, quod absit, haec sanctissima Conciliorum praescripta infringere praesumpserit sciat non neglecturos Nos ejus procaces mores, atque ad Canonici juris normam, quicunque ille sit, pro No-

stro munere animadversuros. Hortamur autem atque in Domino obsecramus Sacerdotes omnes, ut crebro corda Poenitentiae Sacramento expient et lustrent, et proprium certumque habeant Sacerdotem cui confiteantur; ut gratia aucti ad ministeria aggrediantur, et divinam sibi comparent gratiam et benedictionem.

(a, II. Timoth. II. v. 3, 4. (b, Haec Patris verba referuntur 6. lect. in festo S. Apolloniae V. M. (c, Hebr. XIII, 13. (d, II. Corinth. II. 4. (e, Synodus Provincialis: De vita et honestate Clericorum.



PARS III. CAPUT II.

De Venerabili Capitulo, atque Horis Canonicis

Ad vos sermo, Venerabiles Fratres, pars Cleri potior, Nostri Consilii Senatus, quibus, vacante Sede, gravissimum ab Ecclesia creditur munus regendi gregis. Quae vestra sit dignitas, quam inculpatam, imo laudandam a vobis postulet vitam, summo nostro cum gaudio et videmus et praedicamus, integritatis, innocentiae, zeli luculentissimo cognoscere argumento demonstratis. Et recte quidem; qui enim caeteros amplitudine excellit, decet et virtute praestare, et qui plura percepit, severiorem redditurus est villicationis rationem. Quare toto vobis gratulamur pectore, hortamur atque obsecramus, ut in incaepto permaneatis, et propositi tenaces toti virtutum forma Dioecesi praeeatis. Itaque dum Sacris Canonibus et Provinciali Synodo, paternoque Nostri muneris officio obsequentes nonnulla de vobis et vestris obligationibus disserenda aggredimur, non tam irrepentes circumscribere videamur abusus, quam laudare virtutem, et generosos in majora semper et laudabiliora animos incitare: ipsique vos dum praescribimus et decernimus pro recta conscientia et religione vestra sic judicate.

Itaque, quod primum est, positi vos quasi lucerna super candelabro, propiores honore ac jurisdictione Antistiti, et quasi unum effecti cum illo corpus, Clerum sedulo divinae scientiae studio, atque accurato eorum, quae de Clerici honestate praescripta sunt, cultu verbis

scilicet atque exemplis ad sublimem sui status dignitatem formate. Clericos maxime, Sacerdotii candidatos, qui vobis ministrant, pietate ac devotione aedificate, et pro Christiana charitate salutaribus monitis ad servandam et perficiendam instituite excellentissimam vocationem.

Quotidiana vobis a Canonibus indicta in Templo psalmodia. Ah quaesumus, ne tam facile, et nisi gravi de causa a sacro conventu deficite: adeste Choro frequentes, attente et pie tanto vacate officio, operosique sacra munera obite. Eo autem corporis habitu atque incessu ad Chorum adite, quo decet sacra munera aggredientes. In Choro autem honeste, decore, atque ad Caeremoniarum praescripta sacris adeste. Videat populus vestram pietatem atque in aedificationem excitetur.

Itaque caeremonias, et caetera a rituum normis praescripta servate; et sacra habete quae Pontifices Romani suprema sua actoritate jusserunt. Quae Caeremonistarum incuria, quae abusu inoleverant sanctis illis praescriptis aversa, tollite atque abolete. Si qua vobis concessa sunt privilegia nota facite, ut videamus, et quod aequum est probemus.

Et quoniam Chori servitium attigimus, ne huc postea redeamus, ante vestros, et novorum Chori beneficiatorum oculos nonnulla ponenda censemus.

Tres in Classes hujus Cathedralis Clerus dispescitur, scilicet in Canonicos, Parochos urbanos, et Mansionarios, qui omnes e chorali officio pro sua quisque conditione atque instituto distributiones percipiunt. Hi omnes, ut suos faciant e mensa fructus, in urbe domicilium habere choroque interesse operosi debent juxta Canones, atque Canonum authenticam interpretationem. De Parochis alibi, hoc unum id loci notabimus quod, salvis tamen testatorum dispositionibus, Paroeciae cura eos eximit choro: verum ne nimium faciles se curae praetextu a Chori

servitio liberent: super qua re videant ipsi an jure absint: ipsi enim, quorum conscientiam oneramus, sibi judices esse debent. Quoad ferias caeteris Mansionariis, quoad a Parochia absentiam caeteris Parochis aequiparantur. Canonici autem trium mensium, Mansionarii unius mensis spatio vacare possunt: sic ad Concilii Tridentini mentem Statuta Ecclesiae, et Praedecessorum Nostrorum Synodi constituerunt. Hoc autem feriarum tempus, primo, personis non capitulo permissum est; quare ita se gerere debent Canonici et Mansionarii, et sic se invicem conciliare, ut ne Chori servitium unquam deficiat: quare ne inconsultis Capituli rectoribus sibi ferias arbitrio sumant. Secundo, sciant autem feriarum tempora illa esse non posse Quadragesimae, Adventus, et majorum Solemnitatum. Tertio, noverint feriarum tempore, si datum est a Choro abesse, non autem, inconsultis Nobis, a civitate. Quarto, meminerit Capitulum decretorum Concilii Tridentini, Sess. XXIV. Cap. XII. in absentes ultra concessum; quibus Nos inhaerentes unumquemque jubemus cum Praedecessore Nostro Gera, si debeat ultra praescriptum abesse, impedimentum ad Nos deferre, ut videamus justum ne sit an non: et qui neglexerit *contra ipsum prout juris est procedemus* (*a*). Cum eoque pariter et Suarez et Minucci volumus, ut Canonici quatuor cum una dignitate vel uno Seniore semper adsint. Et cum illis pariter in absentes, dum Nos Pontificalia exercemus, et majores occurrunt Solemnitates, animadversuros graviter, Decreta Episcopi Praedecessoris Nostri Suarez innovando interminamur. Quare vetamus quemlibet de Choro celebrandae Missae onus festivis diebus sibi sumere, quod ejus in Choro praesentiam impediat. Sic et Synodi veteres jusserunt, et *hoc sub poenis quae Nobis sumendae videbuntur* (*b*), pariter jubemus. Insuper monitum unumquemque volumus non licere

alicui, dummodo residens esse velit, quacunque causa a Choro discedere, iis exceptis quibus de jure competit ad sua officia, neque ad Missam celebrandam nisi a superiore pro gravi causa sit jussus. Quin imo ne *hebdomadarii* (sic Petrus Maria Suarez de horis Canonicis) *et ministri praetextu cantandae Missae conventualis Chorum ante tempus destituant mandamus, ut non nisi ante horam proxime praecedentem ad Sacristiam se conferant, et si secus fecerint, tanquam non residentes habeantur.* Quod Decretum et Nos confirmamus: et cum Praedecessoribus Nostris pariter praecipimus, ut qui ad Chorum accedunt, ut residentes haberi possint, adsint saltem secundo secundi psalmi versiculo in prima hora sive sit mane, sive sit vespere. Qui vero si cui Missae residentia conjuncta sit, post dictum *Kyrie eleison*, et pariter qui ad Litanias post *Sancta Trinitas unus Deus* advenerit, distributionibus careat Missae ac Litaniis assistentes ex fundatione munerantibus.

Nostis e Theologis quae sint causae a praesentia in Choro excusantes; et quaenam illarum a Nobis probandae sint. Verum cum reperiamus in Synodo Petri Mariae Suarez indictum quod Canonici qui praesto sunt Episcopo Dioecesim perlustranti, assistunt Ordinationibus, examinantes ad Ordines promovendos, sive ad beneficia, etsi opere detineantur, ne Choro assistant, attamen habendi sint pro residentibus: ne consuetudini aversemur, et ne de illius videamur dubitare prudentia, et Nos pro residentibus habendos esse censemus. Item residens est qui abest pro beneficii juribus tuendis.

Theologus, quo die Scripturam legit a Chori assistentia liberatur, non tamen tempore Matutini, quod pro sequenti die canitur. Poenitentiarius ab officio Diaconi et Subdiaconi eximitur: residens habetur dum Confessiones audit (quas tamen ut Provincialis Synodus monet

consulto in tempora officii non differat). Dicitur consuetudo hic invaluisse ut residens sit etiamsi extra Cathedralem Sacramentum Poenitentiae administret. Dummodo rationabilis adsit causa hanc confirmamus, auctoritate Decreti S. R. C. 14 Jan. 1608. Caeteri de Choro Confessarii, si necessitas praevideatur, veniam postulent, atque ex eodem Decreto faciemus. De caetero Poenitentiarius et Parochi ne desint suo muneri; et Solemnibus in populo diebus in Cathedrali ad sua munera praesto sint.

Canonici omnes, caeterique in Choro beneficiarii Nobis Pontificalia in Cathedrali exercentibus, pro suo quisque gradu, ad Caeremonialis normas adesse debent: qui, non legitima et cognita causa impediti abfuerint, ut et Praedecessores Nostri constituerunt, arbitrio nostro punientur.

Ad Canonicatus et Dignitates, atque ad caetera in Cathedrali Ecclesia beneficia non assumentur, non solummodo si videantur indigni, sed etiam si cuncta ea non praeferant, quae Canonibus, et maxime Conventione Pontificem Pium IX. inter et Caesaream Regiam Majestatem Imperatoris Francisci Josephi I. praescribuntur. Meminerint vero Decretorum Tridentinae Synodi Sessione XXIV. Cap. XXI. de Reformatione: *provisi de Canonicatibus et dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus non solum coram Episcopo, seu ejus officiali, sed etiam in Capitulo facere teneantur orthodoxam suae fidei publicam professionem, et in Romanae Ecclesiae obedientia se permansuros spondeant et jurent, alioquin praedicti omnes provisi fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur.* Tempus vero supra designaverat *a die adeptae possessionis ad minus intra duos menses.* Quod Decretum, Capitularia Statuta et laudabilem hujus Cathedralis Ecclesiae consuetudinem confirmantes, ad omnes qui in Choro praebendam, vel mansionariam, vel Parochiam obtinet extendimus.

De Canonicis et caeteris quatenus beneficia sui gradus obtinent, idem nunc sancimus, quod et de caeteris beneficiatis constituemus. Hoc unum id loci addimus: quod Capitulum ipsum ad invigilandum tenetur, ne singuli negligentia, aut, quod absit, malitia beneficiorum possessiones, census, livella distrahant aut perdant. Quare constituimus: primo, ut Capitulum sicut communium bonorum, ita et praebendarum omnium inventarium habeat, quo semper possit a beneficiato crediti beneficii rationem repetere, si videatur oportere: secundo, ut et legatorum inventarium accuratum fiat, quo cognoscatur si onera impleantur, et data ad pias intentiones patrimonia conservari possint. Super quibus sicut Canonicorum caetus, sic maxime primae Dignitatis conscientiam oneramus.

Prima Dignitas, quae post conventionem Pontificem inter atque Imperatorem initam Pontificia electione decoratur, Capituli curam sibi commissam cognoscat, ita tamen ut non dominetur in Clero, sed sit sicut unus ex illis. Decani itaque est statutorum observantiam, laudabilium, quae neque Canonibus, neque ritualibus normis non repugnant, consuetudinum conservationem, ordinis Choro et functionibus praescripti rectam servare methodum, Capitulorum ad Statuti normas convocationem habere, uniuscujusque beneficiati jurium tutelam tenere: praesit ille Chori Ministris, non tamen arbiter sibi videatur, neque sine Canonicorum, datis suffragiis, consensu quidquam per se ipse innovare audeat. Si quid contra aut praeter Statuta praescripserit, si quid sua privata voluntate innovaverit, non obtento vel posthabito Canonicorum consensu, jam nunc irritum declaramus, atque intra suos limites auctoritate nostra retrahemus. Uno verbo ad Canonum et Synodi et Statutorum normam se gerat, praesit exemplo virtutum, atque illud Christi memoret: *qui major est in vobis fiat sicut minor, et qui praecessor est sicut ministrator* (c).

Canonicus Theologus sua munera diligenter obeat: atque ad Ecclesiae instituentis mentem de Scriptura legat, et divina verba secundum Patres et Catholicam traditionem interpretetur. Diebus vero consuetis et statutis horis coram Clero lectionem habeat. Canonici vero, Sacerdotes et Clerici audituri adsint. Argumenta lectionum vel a Nobis praescribentur, vel Nostro judicio subjicientur. Sic Praedecessorum Nostrorum Decreta confirmamus atque interpretamur.

Poenitentiarius, ne aliquorum fortasse opinionibus, vel aliorum Capitulorum juribus decipiatur, sciat approbatum se utique statim ac ad praebendam secundum Canones et pro confessionibus excipiendis; nullam tamen sibi a jure facultatem concessam, praeterquam illam quam ab Episcopo recipiet.

Caeremoniarum Magistri duo sunt: alter pro Episcopo, alter pro Choro. Qui caeremoniis Praefectus Choro est datus, Canonicarum horarum et sacrarum functionum ordinem ad Caeremonialis, Missalis, Breviarii, et Ritualis normam compositum sciat sibi esse commissum. Omnes illius nutibus in his quae cultum spectant parere debent, nullo Capitularium excepto. Quare et ipse quaecunque ab Ecclesia praescripta super hac re sunt, probe semper investiget, aliosque edoceat, et regat. Videat vero ne nimio quandoque zelo consuetudines, quae cum Rubricis non pugnant, atque ideo abusus culpari nequeunt, invertat: de quibus jam de Caeremoniis agentes diximus. Clericos Choro inservientes dirigat, et moneat: omniaque paret quae necessaria sunt ad rectam et concinnam Sacrorum Rituum executionem. Meminerit autem illius esse Canonicos quibus celebrandi pro solemnitate onus incumbit, monere hebdomadae initio, et ad Nos nuncium afferre si quando e consuetudine pontificaliter Nobis celebrandum erit.

Praecentori seu Chori Magistro cantus ecclesiastici debitum impositum est. Itaque hic Choro assidue assistat, antequam officium incipiatur libros paret, ut rite et sine confusione quae canenda sunt cantentur. Clericos in Gregoriano cantu instituat. Praeintonet Psalmos, et caetera quae cani debent chorali voce ut omnes sequi possint, et gravitate et mora ab ipsa cantus conditione requisitis Chorum a praecipiti recitatione temperet.

Capitulari aerario Praefectus, seu ut olim appellabatur Massarius seu Thesaurensis, documentorum custodiae, possessionum, censuum, livellorum curae et caeterarum Capituli sibi commissarum rerum tutelae diligenter invigilet: recteque rem administret, et quod cuique competit juste distribuat. Revisores pariter, seu rationum curatores sine cavillis utique, sed tamen ad conscientiae dictamina suo fungantur officio. Nec plura dicemus; uno verbo omnia complectentes, Statuto, quod probabimus, per omnia obtemperet.

Absentes a Choro notari debent. Hoc officium Regatario, seu Punctatori commissum est. Hic primo sacris Canonibus obtemperans jurejurando spondeat se rite punctaturum, sine acceptione personarum. Secundo, si quod dubium, an non residendi causa, quae affertur, sit recta, ad Decanum, atque ad Nos deferat. Tertio, quotidie praesentes absentesque juxta Statuta in libro scribat. Quarto, quolibet mense residentum, absentumque nomina publicet cum numero dierum quibus defecerunt. Quinto, ad Nos etiam has notas deferat, ut videamus, et judicemus. Hujus pariter est unumquemque de Missis celebrandis, de legatis exequendis monere: eorumque elenchum accurate servare, ut quod cuique debitum est retributionis reddatur. Hic funerum et pleraque stolae emolumenta custodit et distribuit. Consuetudinem, et Statuti praescriptum servet, et pro justitia sua cuique distribuat.

Sacrista Ecclesiae, et Sacristiae et Sacrae supellectilis custos est. Omnium curam ita diligenter exerceat, ut decet eum, qui divina tuetur. Ejus insuper est a Sacristia cuncta removere, quae sordidum, aut pravum redolent: inutiles sermones, multo magis convicia et rixas plena auctoritate compescere: et quicunque salutari monito non obtemperet Nobis denunciet, ut pro aedificatione populi animadvertamus. Saeculares non necessarios in Sacristiam venire, ibique morari prohibeat. Sanctissimam Eucharistiam, atque Aquam lustralem quavis hebdomada renovet: Olea Sacra custodiat, et Parochis petentibus distribuat. Promptus sit ad Sacratissimam Eucharistiam ministrandam toties quoties communicaturi accedunt, maxime diebus festis, et si qua sit solemnitas, et paschali tempore. Denique ille sub se habeat quos Sacristia famulos requirit: quos negligentes repererit, aut male aptos, vel pietate deficientes cum Capituli et Fabricariorum consensu dimittat, aliosque in melius profecturos assumat. Decanus autem, quin etiam et Canonici Custodem saepe interrogent qui defectus sive in rebus sive in personis reperiantur, ut Capitulum auxilio veniat, et malis medeatur.

Capitulum designatis a lege et consuetudine diebus congregetur. Canonici personaliter moneri debent, neque sufficit si nuncius domum habendi Capituli notitiam deferat. Satius erit si literis, in quibus res pertractanda indicetur, unusquisque vocetur. Capitulum quiete, modeste, cum plena dicendi libertate habeatur. Si quid agitur quod Canonici alicujus utilitatem respiciat, proposita re, et prolatis per ipsum argumentis, ipse, et si quis ei sit consanguinitate, vel proxima affinitate conjunctus abscedat, donec, ipsis remotis, lata sint suffragia: aliter nullum sit Capitulum. Suffragia vero ad quaecunque ferantur, secreto dentur scrutinio: vocis acclamatione rogata nulla sit sententia. Res vero proponendae et Ca-

450

pituli voto sanciendae ne Canonibus, et juri ecclesiastico, nostrisque Decretis, et justitiae adversentur; haec enim omnia irritant quae fecerint Canonici et ipsorum conscientiam peccato inquinant: insuper ne quis in Capitulo quae ad rem non faciunt vel indiscreta praesumptione proponat. Videant etiam sive Decanus, sive Canonici ne propria jura transgrediantur. Vetantur Canonici habere Capitulum tempore divinorum officiorum, idque a jure; insuper quae in Capitulis aguntur secreta esse debent, et nullus Canonicorum efferat. Solet optio dari dum aliqua praebenda vel portio vacat. Capituli jura serventur. Sciant tamen omnes praebendas Theologalem et Poenitentiariam optari nunquam posse: Nobisque omnino conferendi, atque examinandi Candidatos jus officiumque a Sacris Canonibus datum.

Capitulum nostrum Statuto suo regitur a Praedecessoribus Nostris confirmatum. Verum cum multa nunc mutatis temporum vicibus ad Statuti normas progredi nequeant, in multisque pariter saepe saepius a Capitulo atque Episcopis derogatum sit, si Canonicis in consilium collectis videatur novas sibi pro moderna conditione edere constitutiones, mature considerent, proponantque, et si justa, utiliaque reperiemus auctoritate Nostra firmabimus.

Notamus autem prohiberi a Synodis, quod et Nos confirmamus, quemquam de Capitulo vel per se vel per alium Capituli praedia conducere.

De caetero in illis, quibus praesenti Synodo non derogatur et consuetudines et Praedecessorum Decreta confirmamus.

(*a*, Synodus Gera de dignitatibus. (*b*, Synodus Suarez de Ministris Chori.

(*c*, Lucae XXII. 26.

PARS III. CAPUT III.

De Parochis, Curatis et Cooperatoribus

In nostrae jurisdictionis partem, et sollicitudinis, ac laborum consortia venistis, quotquot ad animarum curam electi, et constituti estis. Dedit enim vos Nobis, divina sic disponente ordinatione, adjutores, operisque socios Ecclesia, ut quae per Nos, qui ubique adesse non possumus, fieri nequeunt, et Nobis tantummodo ex institutione, vel jure non sunt reservata, vobis in certae plebis utilitatem committamus, et vos populi Nobis crediti portionem, sub Nobis tamen, ordinaria auctoritate regatis. Quare vos animo, sicuti fratres, complectimur, et curarum vestrarum toto pectore miseremur, et virtutum, quas Dioecesim visitatione perlustrantes cognovimus, laudes memorare nunquam desistimus: etenim vosmetipsos pro grege holocaustum offerentes, viresque omnes in ejus tutelam insumentes, Deum fidelem depositi custodem, justumque operis judicem et remuneratorem demeretis. Alacres ergo et fidentes Canonum vobis indicta memoraturi, et quae opportuna judicamus praecepturi hunc ad vos instituimus sermonem: certi enim sumus gratiora vobis illa esse futura, quo majus conferent in animarum salutem subsidium. Non utique nunc, quae jam superioribus Decretis attulimus, repetemus: nempe quam saepe,

quas res, et quomodo docere vos populum vestrum oporteat, et qua sollicitudine et cura Sacramenta administrare necesse sit: quomodo pueros Christiani populi surculos instituere, atque ad Confessionis, Eucharistiae et Confirmationis gratiam comparare praecipiatur, quo zelo, quo studio infirmos visitare, et salutaribus juvare subsidiis indicatur, quos assumere domesticos, cujusmodi qualitatis mulieres domi forisque vitare jubeamini, quo vitae tenore, quibus vivere moribus cum caeterisque Clericis tum vobis maxime imperetur, et pariter quanta diligentia Baptizatorum, Confirmatorum, Conjugatorum, Defunctorum libros, et pariter animarum statum ad Ritualis normam vos tenere opus sit. Egimus enim de his omnibus alibi. Haec modo videntur addenda: non posse vos libros ab Ecclesia praescriptos negligere ex eo quod et civilis potestas nonnullos praescripserit ut scribatis, et conservetis. Volumus enim ut et terrenae quidem potestati, sed et Ecclesiasticae divinae auctoritati totis viribus pareatis: deinde maximum vobis inesse debitum Ecclesiae vestrae jura intacta servare, ut integra successoribus relinquatis. Qua in re et beneficii praedia, census, livella, et decimae, et primitiae, et stolae, ut ajunt, emolumenta comprehenduntur. Vos ea omnia pro vestro jure atque officio ne in desuetudinem abeant, ne imminuantur curate. Attamen charitatis memores ne urgeatis ut exactores, sed christiana cum prudentia agentes ita debitum cum misericordia conjungite ut sentiat populus vos quae juris sunt observare, avaritiae autem sordes et duritiam cordis perhorrescere et vitare. Ut suspicionis occasio tollatur, quae stolae jure pervenire ad Parochos conveniant, apposita definitione determinabimus.

Non equidem redarguendo, sed excitandi gratia Tridentini monitum memoramus, pauperum vos esse pro ministerio patronos. Itaque eorum et maxime, prudentia

tamen sancta atque ad Evangelicae perfectionis normam composita, viduarum et pupillorum curam suscipite, et quot vobis suppetunt juvandi modos adhibete (*a*). Propinquorum autem amorem temperate, neque in illorum desideriis beneficiorum fructus insumite. Si pauperes sunt, ut pauperes illos juvate, non respicientes carnem et sanguinem, sed ministerii vestri sanctissima officia (*b*). Super his rebus mementote crebro, et considerate quae Sacri Canones et probati vos Theologi monere non cessant.

Commissam vobis Ecclesiam, ut sponsam diligite: sacra zelo ac pietate custodite: ad sacra munera ornatam, dignamque, qualem esse decet coelestem Jerusalem studete efficere. Videat populus vestram super hac re curam, et templum honorare a vestro discat exemplo. Sacras Caeremonias et Solemnitates a Sacris Ritibus indictas, vel probata consuetudine institutas qua majori datum est pompa et gravitate celebrare contendite. Super qua re, dum vos utique a luxurianti in saeculi modum ornatu abstinere desideramus, precamur ne neotericis, et Christiano populo antiquiori inauditis aurem applicetis sententiis, quae ex Iconoclastarum Protestantum penu depromptae, Philosophicum indutae pallium cultus simplicitatem suadere, et quasi spiritualem inducere honorandi Dei morem conantur. Videntur equidem primo sanctae et justae conspectu: verum in illud intendunt, ut simplicitatis, angelicaeque formae specie charitatem frigefaciant, fideique paullatim lumen extinguant. Si ad Ritualia praecepta steteritis utrumque malum effugietis.

Erunt, necesse est enim ut veniant scandala, erunt et in vestra plebe homines in peccata proni, et fortasse etiam loquentes perversa, ut abducant discipulos post se: erunt infirmi in fide, et faciles decipi. Vos cum omni patientia et doctrina assumite, monete, docete, excitate, arguite. Quos vero seductores cognoscitis ad Nos addu-

cite, ut cum vestra Nos conjungentes pastoralem curam, vel miseris medeamur, vel ingruenti damno occurramus.

Ut haec autem omnia rite faciatis, opus est, si exemplo bono praeitis, ut et indesinenter operemini. Qua necessitate considerata tot tantosque et grandi severitate Canones Ecclesia confecit, ut curam animarum habentes Sacerdotes in suo perpetuo loco resideant. Itaque ad Concilii Tridentini normas jubemus cum Provinciali Synodo et Praedecessoribus Nostris Parochos et curam animarum cum Canonica investitura habentes, in Parochiae loco atque in Parochiali aede residere, vetamusque proprio arbitrio abesse etiam ad breve tempus atque extra Parochiam pernoctare. Quod si necessitas cogat abire, ad tres dies licentiam possit Vicarius Foraneus subjectis Parochis concedere (*c*), dummodo approbatis jam a Nobis Sacerdotibus interim sit plebi provisum. Si diuturnius sit opus tempus, ad Nos vel Vicarium nostrum recurrendum est, ut et causa cognita et probata veniam in scriptis faciamus, atque interim juxta Sacros Canones populo ac Parochiae consulamus. Solent aliquando Parochi in urbem venire, aliaque loca adire nundinarum diebus. Non equidem interdici censemus iis diebus convenire ad necessaria emenda, ut ruri pro frugali commodo sit domesticis provisum necessitatibus. Verum hortamur ne sit haec necessitas praetextui, prohibemus autem in tabernis protrahere tempora: eo enim sola victus causa, non compotationis, aut symposii desiderio accedere est, neque decens ibi morari, et sub vesperas domum redire. Hoc populos scandalo afficit, et Sacerdotes quandoque monstrandos digito, et deridendos facit. Quare quam celerrime vestra obite negotia, et mature in Parochiam redite.

Cum vero residentia Parochis ea sit indicta, quae non corporis praesentiam tantummodo, sed operam Sa-

cerdotalem praestet, idcirco monemus omnes animarum Curatores eos se pro conscientiae securitate, et justitia praebere necesse esse, qui pro populo sibi commisso se totos impendant, officiique memores et populum per se doceant et sint ministerio Sacramentorum assidui, et visitationi infirmorum intenti: Parochus enim ad hoc est, ut Mysteriorum Dei, et donorum gratiae sit dispensator, et gentem a Deo sibi creditam omni cura ad coelum perducere conetur, rationem redditurus pro grege sibi in custodiam demandato.

Quare si quidquam reperiemus per Nos ipsi, vel delatum ad Nos et probatum sit quod ostendat Parochum vel non residere, vel residendo muneri deficere, in eum Nos secundum Canones et Tridentinae Synodi Decreta animadvertemus, privatione etiam fructuum, et suspensione etiam, et depositione, si res ita postulet, ab officio et beneficio.

Sunt in plerisqe Parochiis longinqui a matrice pagi, qui suo indigent Sacerdote, qui pro Parocho animarum curam exerceat. Nos si Sacerdotum copia non desit, concedemus. Verum illis indicimus: primo, ut quidquid de vita et honestate Clericorum praescriptum est accuratissime observent, atque impleant: quo enim remotiorem a Superiore locum habitant, eo majora instant tentationum pericula. Secundo: ut illa omnia solliciti impleant ad quae Nostro consensu sunt instituti. Tertio: ne inscio Parocho abesse audeant. Quarto: ut Parocho obsequentes sint, neque se ab ejus unquam judicent exemptos jurisdictione. Parochis autem praecipimus, et super hoc eorum oneramus conscientiam, ut vigilent, ne qui tali ratione subsidio iis dati sunt, in populi perniciem convertantur, et si quid repererint vitiosum Christiana primum correctione occurrere studeant, et si male profecerint, ad Nos deferant. Ipsi tamen his Sacerdotibus laborum sociis amicos se praebeant, neque illos vana sui gradus osten-

tatione contristent.

Vae soli, dictum est, quia cum ceciderit non habet sublevantem se. Miseremur equidem illorum, qui soli in Parochia degere coguntur, neque alterius possunt Sacerdotis consilio, opera, conversatione solari. Ah quaesumus in Deum mentes, animosque convertite, ut ipse vos custodiat et dirigat, et vires sufficiat ad gravissima officii onera portanda. Nos equidem si Parochia opus habeat, si Sacerdotum sit copia, Cooperatores dare non recusabimus. Verum qui adjutorem habet, primo meminerit, Parochum decere domi secum illum habere: ideo Parochialis aedes dicta Canonica, quod Sacerdotes cum Parocho fraterno more degentes ad Canonum normas vivebant. Secundo, Sacerdotes se, non famulos, tenere, quare sacrum in Cooperatoribus veneretur ipse characterem, neque in eos, quasi rex, dominetur. Tertio; hos datos operum subsidio, non otii occasioni: quare ipse agens cum illis salutem populi operari debere, non illis omnia facienda imponere. Quarto; se pactis et conditionibus per Nos probatis teneri, et fidelem se debere praestare. Cooperatores autem se, non mercenarios, ad quos de ovibus non pertinet, existiment, sed Sacerdotes, Christi Ministros sub Parochi custodia constitutos. Itaque et Parochum honorent, atque illi auscultent: de illo cum populo ita loquantur, ut venerandum ostendant: zelum Dei induant, animarum salutem exquirant. Sint domi discreti, foris modesti, alacres in agendo, et cum Parocho charitate devincti gentem aedificent, et verbis atque exemplo in via salutis aeternae perficiant. Hi plerumque multa cognoscent, quae Parochus celetur: si prudentia silentio medicinam malis parare doceat, id caute et sine periculo utique agant, sed raro hoc eveniet; et fere semper, nisi Sacramentale sigillum vetet, monendus erit de malo Parochus, ut quae ipse recta judicaverit, fiant.

E Parochis solent eligi Vicarii Foranei, qui pro Nobis Clero et Parochiis praesint. Hos veluti duces Clerus et Parochi venerari, atque observare tenentur. Quae eorum munera, quae jura a Nobis illis collata sint, ne id loci memoremus, pro diversitate enim locorum varia est opus dispensatione, patente illis in scripto data indicabimus. Hoc tantum nunc monemus: velint ipsi fratres habere Parochos et Sacerdotes, fraterna illos charitate juvare; seque iis tales praebere ut et consilia in dubiis et consolationem asperis in rebus a se possint sine pudore et trepidatione quaerere et expectare.

Novimus equidem quam gravia, venerabiles fratres, sint vestris onera imposita humeris: novimus multiplices ministerii labores: novimus anxietates, dolores, quibus sacrum horret officium. Sed ne animo decidatis: pro Christi grege vigilias, curasque insumitis: et ille Deus totius consolationis, qui consolatur Nos in omni tribulatione nostra, modicum passos perficiet, et vestrarum misertus lacrymarum bonum conscientiae testimonium dabit ad pacem, et praemia vestris aeterna operibus largietur. Eo animum erigite, et paratam vobis in coelis coronam obtinere certate.

Hoc unum restat, quod extremum visum est reservare. Parochos omnes et qui vacante Parochia Vicarii constituuntur Missam teneri diebus festis pro populo celebrare. Inoleverat error, quod festis in feriarum numerum deductis, non obligarentur. Itaque sciant omnes festis diebus ab Urbano Papa VIII. decretis juxta Pontificis Pii IX. feliciter regnantis Declarationes, licet jam populus ab audiendo sacros sit absolutus, debere se sacrificium pro populo offerre; immo volumus ut hi dies, pro Parochorum commoditate, aliquo signo notentur in Calendario. Sciant etiam Missam in Parochiali, vel ubi Parochia eo die esse censetur, esse offerendam; neque Parochi arbitrio

in alium sive diem, sive locum transferri posse. Quod si tanta sit reddituum parvitas, ut aliqua sit in aliam diem differendi causa probabilis, ad Nos pertinet judicare et definire. Absolvi autem Parochus ab onere vel in parte vel in toto nisi a Supremo Ecclesiae Hierarcha, cui Clavium in Christianum populum omnem data potestas, non potest.

(*a*, Sess. XXIII. Cap. I. de Reformatione. (*b*, Sess. XXV. Cap. I. de Reformatione. (*c*, Synodus Suarez de Parochis.



PARS III. CAPUT IV.

De Beneficiatis et Vicariis Parochorum

Personas hucusque attigimus ad sacra munera electas, et beneficiis ornatas: de beneficiis modo est agendum. Antequam ea praescribamus, quae opportuna videbuntur, breviter hic notamus:

I. Tonsura tantummodo insignitos, decimumquartum aetatis annum natos, exceptis iis beneficiis qnae a jure majorem postulant aetatem, legitimo progenitos matrimonio, nisi a Romano Pontifice sint dispensati, posse ad beneficium promoveri.

II. Si beneficium jure patronatus obligetur, non posse Patronos nisi dignos proponere: atque hac in re Patroni sive ii sint Ecclesiastici sive Laici indictas a jure leges servare debent, neque Nos unquam contra Canones eos agere quomodocunque sinemus.

III. Sciant Clerici omnes beneficium nisi per Nos canonice investiti fuerint possidere non posse: Nos autem nulli beneficium conferemus, qui a Canonibus rejiciatur, et qui professionem fidei coram Nobis non emiserit. Quotquot autem in Cathedralis Clerum cooptantur fidei professionem coram Capitulo quoque faciant, et caeremoniis insuper consuetis per Capitulum in suam sedem deducantur.

IV. Meminerint qui Beneficium adire desiderant, et Patroni qui sibi probatum praesentant, simoniaca labe,

praeter peccatum et censuras, irritari quoque Beneficii collationem; et simoniae crimine pollutos fructus non facere suos.

V. Quicunque Beneficium possidet officio suo idoneus sit oportet. Sunt Beneficia ut ajunt simplicia: injuncta onera per se Beneficiatus obire tenetur, vel si ea sint quae per alium possint impleri, dum ipse non possit impedimento aliquo obstrictus, debito per alium satisfaciat. Beneficiatorum commune onus recitandi pro sua conditione horas Canonicas, vel illas B. M. V. docent satis Theologiae Moralis Scriptores. Sunt etiam ut supra indicavimus Beneficia Curata, et Praebendae Theologi, et Poenitentiarii in Cathedrali. Illa atque hae per jura, per concursum, atque examen digniori conferenda sunt. Itaque Nos Canonibus obsequentes, quotiescumque illa vacare contingat, proposita sacris legibus methodo ad eligendi Sacerdotis probationem procedemus. Ut recte electio fiat jubent Canones Examinatores Synodales, iis deficientibus Prosynodales a Nobis et Capitulo probatos adspirantium merita et scientiam perpendere. Sciant hi primo per se, et non in Curia mores et vitam Candidatorum cognoscere debere: secundo, ita examen instituere, ut scientia concurrentium discerni possit, remota tamen cavillatione, atque inhonesta severitate: tertio, propositas se afferre quaestiones oportere, quae magis beneficii conditioni respondeant, ut aptior dignosci possit. Denique gravi se juramento teneri ne acceptione personarum, carnalique affectu a sententia recte proferenda labefactentur, et graviter peccare, atque irritam efficere electionem si ante tentamen quidquam evulgaverint quo facilius concurrentibus examen reddatur.

Qui vero suae faciunt periculum scientiae noverint, quaestiones per se neque hominis, neque librorum auxilio juvatos solvere obligari: si fraude mala Examinato-

res, Episcopumque fefellerint et peccare, et se in Beneficium intrudi. Hoc ne eveniat dum ipsi super quaestionibus propositis scribent, quae postea in conventu legent, aliquem statuemus qui invigilet: et sic canonicae consulemus electioni. Nullum autem ad concursum admittemus quem sciamus esse indignum. Qui post examen ad Beneficium non sit assumptus, licet sibi, atque amicis dignus videatur, ne doleat, nec queratur. Non omnes pariter a Deo vocantur; non idem omnibus Deus committit officium; pro Sacerdotali humilitate Dei vocantis dispositionem venerentur, et suam alio in tempore ad convenientius officium electionem expectent. Caeteri Canonici et Mansionarii ad consuetam methodum, et juxta Conventionem Pontificem inter et Caesarem conciliatam eligentur.

Omnes autem cujuscunque generis Beneficia obtinentes sciant: primo, se Beneficii non esse dominos, sed tantummodo ejus usu frui. Quare ne quidquam distrahi patiantur, neque quidquam in suam redigant potestatem. Norunt quae sint Tridentini Decreta, et quibus vindicata poenis. Secundo, non res tantum sed et jura sibi Beneficii esse tuenda; pereunt enim Beneficia si suo jure priventur. Tertio, quae Ecclesiae, quae Theologorum de Beneficiis sententiae sint graviter, attenteque considerent, ne vel justitia vel charitate laesa animas perdant. Quarto, Beneficia data sunt propter officia: quare quidquid cum Beneficio oneris se jurarunt implere, impleant. Multa sunt, quae ipsorum possit tantummodo arguere conscientia; multa sunt, quae externo etiam foro a Nobis possunt dijudicari. Utraque tamen animas vulnerant; et quod primum est in Christiano, et maxime in Sacerdote animam salvam facere oportet. Nos officio nostro non deficiemus si qua, quod absit, punienda secundum Canones reperiemus.

Nos omnibus beneficiatis indicimus ut bonorum et

jurium inventarium conficiant, oneraque quibus Beneficia sunt obnoxia recenseant, atque ad Nos deferant; ut in Episcopali Curia Beneficiorum status, quis sit, innotescat. Volumus autem ut in unaquaque Ecclesia tabulae sint, ubi quivis Sacerdos propria manu Missas ibi celebratas pro suo debito inscribat; et singulo quoque anno ad Nos afferantur, ut videamus an omnia impleantur ad testatorum dispositiones; et si quid deficiat occurrere Nostra auctoritate possimus.

Depositione, Renunciatione, vel morte Sacerdotis Beneficium vacat: redditus pro rata sunt dividendi, haeredibusque, et Beneficio et successori tradendi. Quomodo id fiat in regulis pro Beneficiorum administratione trademus.

Sunt insuper Sacerdotes qui neque beneficiati dici possunt, neque omnino Beneficio carentes, nempe Vicarii Parochorum. Duplicis hi sunt generis. Alii enim ad tempus Parochiae dantur, Parocho adhuc vivo, neque a Beneficio remoto. Hi sine Nostra auctoritate constitui nequeunt: quae illis danda sit a Parocho congrua definiemus pro rerum et Beneficii circumstantiis. Alii defuncto vel remoto Parocho, cum Parochiali jure et debito instituuntur, Parochique officium exercent, donec novus accedat electus. Certae leges statutae sunt ad eorum sustentationem, stolae obtinent emolumenta.

Noverint utrique, dum Vicarii officio funguntur cuncta Parochi sibi munera implenda, et quasi a Parochis rationem ab illis Deum exposciturum. Sint itaque commissi populi pastores, neque se mercenarios existiment. Omnia peragant, quae patrem decent; cuncta custodiant, Parochiamque, et caetera, cum venerit pastor, intacta integraque tradant. Monemus autem ne nimio fervidi zelo quidquam in Parochia innovent; ne dum benefacere student, Parocho ingredienti laborum et dolorum argumenta imprudenter parent. Si quid consuetudinis, aut

jam inveterati abusus corrigendum cognoverint, ad Nos deferant, ut causa perpensa, et rem meditantes malis medeamur, et futurae populi, pastorisque paci provideamus. Pleraeque inolevere in Paroeciis consuetudines, quibus Parochialis Missa, concio, aliaque in aliquam Succursalem transferantur, quo minor pars populi potest convenire, caetera vero gens abest; hae consuetudines tollendae sunt. Dent Parochi earum Cathalogum; Vacante Parochia quid agendum sit definiemus.



PARS III. CAPUT V.

De Clericorum Seminario



Sancta Mater Ecclesia, cum a Christo Domino docendi jus officiumque accepisset, a sua primaeva usque aetate gentes et Clerum maxime gentium magistrum et ducem, tum pietate, tum doctrinis instituere sollicita studuit. Quare ut nobilem illam et clarissimis illustratam nominibus scholam a Beato Marco Alexandriae constitutam praetermittamus, Episcoporum domus, templa, coenobia, mediis in bellorum tumultibus, sub ipsa persecutionum procella in sanctum hoc opus et consuetudine, et legibus dedicavit. Dein pace exorta, et faventibus etiam regibus Archigymnasia ad omnimodam excitavit eruditionem, eximiaque prudentia, et Statutis sanctissimis confirmavit. Ex quo factum est, ut dum omnis barbariei tenebras orbis conquereretur, nullum unquam Ecclesia saeculum deploraverit, cui nomen ab ignorantia, insignesque semper Christianae reipublicae praefecit homines, qui et fidelium animos roborarent, erroresque dimoverent, et pietatem scientiarum ornamentis honestarent. Verum Protestantibus omnia subvertentibus, et patentem incredulitati aditum facientibus, et Catholicorum ignorantiam criminantibus, ut malo occurrerent ingruenti, atque Haereticis calumniae causam omnem praeciderent, Tri-

dentini Patres, in Sancto Spiritu congregati, novum quiddam excogitaverunt, et legibus indixerunt, et Statutis confirmaverunt, quo facilius omnes Dioeceses non Theologiae solum, verum etiam bonarum artium omnimoda disciplina ad fidei decorem, ad argumentorum copiam, ad novatorum confusionem ornatae atque auctae viderentur, et essent. Itaque Sessione XXIII. Capite XVIII. de Reformatione Seminaria per omnes Dioeceses erigenda decreverunt : quam sapienter vero ! quam caute ! quanto etiam decernentium sacrificio ! Nulla populis nova impensa, Clerus ad necessaria conferenda, ad labores vocatus, ut, quae Mater est gentibus, Ecclesia, saluberrimo suo et copioso filios lacte nutriret. Et quam celerrime, quam laeto corde Episcopi cum Clero proposita perfecerunt! Nec spem fefellere messes. Asserere equidem sine ulla dubitatione licet ex illo Tridentini Decreto omnem excrevisse urbanitatem, atque in populos multiplicem illam propagatam esse scientiarum cognitionem, qua, male superbiens, atque in amantissimam ingrata matrem haec nostra aetas fidem ab illa traditam obscurare , ejusque conatur labefactare auctoritatem. Haec praeterire non ferebat animus, dum de Seminario, pupilla scilicet oculi nostri, et trepida pectoris cura, sermonem instituere adoriremur. Sacros Tridentini Canones, Provincialis Synodi jussa , Praedecessorum Nostrorum leges, et monita observanti animo considerantes, quae ad Seminarii Feltrensis commoda, utilitatem et sanctum finem conducunt decernemus: vos pio studio, et Sacerdotali zelo juvate.

Quod primum occurrit, nomen ipsum atque institutio docent nos Seminaria praecipue sibi proposuisse, ut eos qui ad Sacerdotium vocantur, tum pietate, tum scientia instruant, atque ad ministerii jussa rite sancteque perficienda comparent. Verum cum maxime oporteat

juvenem in sortem Domini vocatum suae conditioni assuefieri; et cum non semper divinae electionis indicia primo appareant manifesta intuitu, ideoque necesse sit ut viri sancti, et sacrarum rerum periti indolem hominis, virtutesque sollicite spectent et considerent, utrum bona utique sed tamen humana, an Dei voluntas eum sublimi huic offerat conditioni: et cum denique maxime intersit, ut caeteri quoque qui saecularia vota sectantur, ab Ecclesia educentur, ne dum alibi docti fiunt, cognoscentes litteraturas exulent a potentiis Domini: factum est ut Episcopi, post Tridentini, quae jusserunt, Decreta in suas reversi Dioeceses dum Clericorum Seminaria instituerent, et laicos quoque ad eorum Scholas, quin imo et in contubernium assumerent. Quapropter Seminaria non in Cleri solummodo, sed in communem etiam provinciarum omnium utilitatem sua studia contulerunt. Sensere populi rem, et Spiritu Sancto duce, et ratione ipsa docente, relictis illis saecularium Cathedris, Seminariis, quasi certis scientiae salutisque domiciliis, filios tota animi fiducia commiserunt. Ex quo facile est concludere, quod sicut Tridentinum praecipit, et Provincialis Synodus graviter monet, ita est Seminarii disciplina componenda, ut quicunque Seminarium frequentant, etsi neque Clerici sint, neque in Clerum se judicent vocari, Clericali tamen pietate vitam agere debeant. Volumus itaque ut Seminarii Alumni quocunque nomine vocentur pro Christiano sint bene morati: nec satis habemus esse honestam illam, mundo utique probatam vivendi rationem, sed illam exquirimus quae cum divinis, atque Ecclesiasticis legibus consentiat. Itaque quotidie, sic Tridentinum, Missae devote adsint, semel saltem in mense ad Sacramenta accedant; Clerici vero sicut Ordines suscepti postulant: sacris solemnitatibus, qui Clericalem induere vestem, assistant ministrantes: cuncti spectacula et publica otio-

sorum diversoria vitent: ludis non solum vetitis, sed et lucri cupidinem excitantibus abstineant: familiis honestis licet, sed tamen non omnino periculi expertibus, ne utantur; praeceptoribus, et majoribus omnimodam exhibeant obedientiam et reverentiam. *Dyscolos et incorrigibiles ac malorum morum seminatores acriter puniemus, eos etiam si opus fuerit expellendo, vel amovendo:* sic agendum Tridentini Patres Decreto supra citato jusserunt.

Item declaramus quod nullum ad Sacros Ordines assumemus, qui studia saltem Theologica in Seminario non absolverit: ut videamus quae sit ejus indoles, quae vitae severitas, quae animi humilitas illum commendet.

Feriarum tempore Clerici ad Seminarium pertinentes, omnia quae de vita et honestate Clericorum decrevimus, servabunt: et Parochorum conscientiam oneramus, ut Nos certiores faciant an in omnibus pro Clericali statu se gerant: quapropter dabimus ad Parochos literas quibus singillatim responsa dabunt per omnia quae per illas interrogabuntur. Nostrum hoc Seminarium fere subito post absolutam Tridentinam Synodum a bonae memoriae Episcopo Jacopo Rovellio institutum, et successoribus praesertim Zerbino Lugo et Petro Maria Suarez auctum atque amplificatum, nuperrime vero magnis et curis et studiis a proximo Praedecessori Nostro Antonio Gava, Dioecesi et maxime Civitate subsidia impendentibus, ex integro aedificatum, certum Clericorum numerum minori quam caeteros alumnos impensa ad Tridentini mentem alendum sumit. Ex instituti objecto, ac priorum Episcoporum exemplo constituere censuimus, ut favor, quae *gratia* appellatur iis tantummodo concedatur, quibus juxta Tridentini Decretum concedere videatur; et Decretum emisimus, quod ad parentum, et Parochorum notitiam sub Capitis hujus calcem describemus.

Disciplina Seminarii Sacerdoti Nobis apprime cognito,

iisque ad quos per Canones spectat, probato, commissa est. Itaque ejus erit omnibus invigilare, contubernio praefectos constituere, inobedientes punire, et consultis tamen Nobis, nisi necessitas urgeat, dyscolos expellere. Clerici vero ita illi crediti sunt, ut ex ipsius suffragio, qui promovendi, qui ab ordine arcendi sint, cognosci possint. Curet ut omnes alumni semel aut bis in anno Esercitiis per tridum saltem vacent Spiritualibus; Clerici vero per tot dies, quos jam de Ordine agentes definivimus.

Animarum cura Confessario est demandata. Semel saltem per hebdomadam die et hora determinata a Rectore, aderit ad excipiendas alumnorum Confessiones. Meminerit ille officii sui: Sacerdotes futuros sua cura praeparet; qui Sacerdotio non initiandi sunt, ita moneat, ut e Seminario exeuntes Christi bonus odor populo sint. Quare eo se temperet modo quo perfectorum vel perficiendorum Confessiones exciperet, et majora communibus profitentium officia.

Scholae munera praeceptoribus sub studiorum Moderatore sint curae. Non equidem redarguendo, sed Evangelii monita, Ecclesiaeque desideria et praecepta in memoriam revocando haec dicimus. Magnum sibi noverint impositum onus, verum etiam insigne atque admirandum, fingere scilicet scientia et pietate animos adolescentium, ut ex illorum disciplina veniant in societatis consuetudinem bonis et Christianis spectandi moribus, parentum et majorum observantes auctoritatem, optimi ex corde fideles, doctrina honorabiles, et rectorum utiliumque gravidos consiliorum: hoc patria, parentes, Ecclesia flagitant, Nosque ipsi praecipimus: non ut mercenarii sed ut patres, et Sacerdotes in instituendis se gerant alumnis: et Religionis fidem cum liberalium disciplinarum studiis apte conjungentes excitent, hortentur, et

salutaribus monitis, et nunquam intermisso labore adolescentulos sanctificent pariter atque erudiant. Scimus equidem in mala Nos incidisse tempora, atque in nugas heu nimium pronam cerea puerorum pectora malis societatem quandoque decipere exemplaribus. Vestrum est, Praeceptores, credulos illos saepire animos, insitamque ad virtutes promovere vim. Quam magnum facinus, quam laudabile vestrum erit, si ab errore, a praevaricatione mentes et corda servetis, atque ad recta, ad vera assuefaciatis! Familias omnes, Ecclesiam, Deumque ipsum omnium auctorem bonorum vobis devincietis, honoremque in terris, aeternam in coelis beatitatem assequemini.

Seminarium sua habet praedia, ex pacto quodam a Municipio subsidium recipit, et stipendia quaedam ab alumnis, et concurrentibus discipulis exigit: quibus omnibus ad sua munera sustentatur. Horum administratio Sacerdoti, cui nomen AEconomo, demandata est. Ad Tridentini Concilii, et Provincialis Synodi, et veterum Statutorum praescripta quotannis ille rationem reddet. Cum vero hi Seminarii redditus sacri sint, et sacris gerendi legibus, reddendae rationis normam, salvis semper Tridentinae Synodi legibus, ad illam in Provinciali Synodo constitutam componere est.

E Capitulo et Clero juxta Tridentinum ad disciplinae morumque constituendas et servandas formas, ad studiorum curam, ad perpendendas necessitates atque administrationem Sacerdotes acciri atque eligi debent, quorum consilio ac sollicitudine rem bene gerere possimus: et Nos Canonibus obedientes volumus eos nominari, et suo fungi officio. Et quoniam Capitulum, Clerumqne hic congregatum habemus omnes quos Tridentinum postulat in Synodo ipsa designatos proponimus, ut munus ab Ecclesia impositum illico perficiant: rationes inspiciant, necessitates investigent, cum Nobis et pro Nobis disci-

plinam, scholasque examinent, atque omnia ad optatum finem perducant.

Scholas sive illas Theologicas sive ad Litterarum et Philosophiae cultum pertinentes, juxta Synodi Provincialis normas, habita tamen et Nostri Seminarii conditionum consideratione, dirigemus, ampliabimus, perficiemus.

Illud restat ut Parochos, Sacerdotes, Civesque omnes in Domino hortemur, ut Ecclesiae, patriaeque faventes, Seminarium colant, amplificent, collatis semper sustentent subsidiis; ut ad Clerum formandum, et filios instituendos communi desiderio cum plena boni successus spe in omnium consolationem respondeat.

Parochos vero, quod et alibi fecimus, obsecramus ut pueros bona indole praeditos, ingenio praestantes, studiorum cupidos juvent, ut novos ex iis Sacerdotii alumnos in Seminarium adducant, vel si in sublimis hujus conditionis consortium non vocentur a Domino, probi efficiantur laici, et bonae vitae exemplo, et doctrinae auctoritate sint Clericis in animarum administrationem adjutorio.



Apponimus hic praescriptum, quo Seminarii Moderatori committimus, ut exemptiones a solvenda sua parte alumnis rite recteque concedat aut abneget.

N. 516.

Al Molto Reverendo Signor Rettore del Seminario di Feltre

Essendo Nostro vivissimo desiderio, che i giovanetti chiamati dal Signore allo stato Ecclesiastico abbiano veramente le disposizioni domandate dai Sacri Canoni, e per quanto da Noi dipende volendo ajutarli a percorrere la via dritta del Santuario, siamo venuti nella determinazione di fissare intanto una norma inalterabile per l'assegnamento futuro delle così dette mezze grazie, che il Nostro Seminario di Feltre è solito di concedere giusta i Decreti dei Vescovi antecessori Nostri, e le condizioni dell'ultimo Sinodo Diocesano. Al quale intento troviamo di prescrivere quanto segue:

1. *Si concederanno le così dette mezze grazie a quegli studenti, che versano in vero bisogno, essendo le grazie suddette fondate e stabilite espressamente pei Chierici poveri.*
2. *Gli aspiranti dovranno aver compiuto l'anno* 16 *di età, e la loro vocazione vorrà essere dimostrata da prove non dubbie di pietà, e d'intemerata condotta, e di assidua applicazione allo studio. In ogni modo saranno preferiti i migliori, e fra questi i più prossimi agli studii Teologici.*

3. *Quindi avanti chiunque vorrà godere di una grazia nel Seminario dovrà offerire obbligazione legale di restituire le somme corrispondenti alla grazia percepita nel caso in cui risolvesse di spogliar l' abito Clericale a tenore dell' ultimo Sinodo Diocesano Parte III. Capo V.*
4. *I Chierici graziati presteranno un servigio speciale tanto nelle sacre funzioni, quanto nei varii ufficii disciplinari, giusta il volere, e gli ordini del Rettore del Seminario.*
5. *Non potendo i graziati, perchè poveri, giovarsi di alcuna spesa non necessaria, non pretendano di essere preferiti nell' uso delle Camere, e dei Camerini, pei quali si paga un annuo affitto dai Convittori paganti l' intera dozzina.*
6. *Qualunque dei graziati mancasse notabilmente alla disciplina, ovvero desse indizio di sentimenti, e di costumi riprensibili, perderà il beneficio della mezza grazia, e non correggendosi verrà poi rimosso dal Seminario, ed obbligato a depor l' abito Clericale.*

Al Molto Reverendo Signor Rettore del Seminario appartiene l' esecuzione del presente Decreto

Dalla Nostra Residenza di Feltre
il 29 *Settembre* 1858.

✠ **GIOVANNI** Vescovo



PARS III. CAPUT VI.

De Casuum Collationibus

Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum: sicut ros Hermon qui descendit in montem Sion: quoniam illic mandavit Dominus benedictionem: ait enim Christus: *ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (*a*). Quare in hoc semper omnem Ecclesia contulit curam, ut si (utinam omnes!) Sacerdotes certe mutua se charitate diligerent, et juvarent, neque suam quis eorum avarus scientiam absconderet, verum in fratres diffunderet, et communione doctrinae in majorem cresceret Clerus semper cognitionem rerum ad populum rite sancteque sive educandum, sive regendum. In quem finem quid pulchrius, quid aptius inventum esse potuit, quam Sacerdotum Congregationes in quibus de tanta re disserant, et singuli, suorum messe studiorum in commune collata, se se invicem juvent? Si unquam alio tempore, nostro certe manifestum fecere experimenta quid propositorum et consiliorum societas valeat, et quantam rebus vel perfectionem vel conversionem inducat. Quod cum animadverterent, et considerarent Episcopi omnes et Pontifices collationes casuum habendas decreverunt: Provincialis Synodus fecit Nobis facultatem statuendi ordinis, quo habendae sunt, et pro Dioeceseos hujus conditione earum methodum constituemus. Interim Sacerdotes omnes ad frequentandas casuum collationes, eoque sui afferendos studii fructus hortamur et jubemus, Provincialis Synodi verba recitantes non immutata. Ea itaque de Casuum Congregationibus ita praescripsit:

» Sacerdotes in his ita se gerant, ut et ipsi in Chri-
» sto concordes mutuis consiliis juventur, et populus Sa-
» cerdotum charitate perspecta in majorem Sacerdotii
» aestimationem veniat, atque ad exhortationes, monitio-
» nes, reprehensiones suscipiendas docilior evadat. »

» In rerum pertractatione absit ingenii ostentatio,
» et partium studium: omnia in charitate fiant, et ve-
» ritas tantum tamquam certissimum totius conventus
» bonum quaeratur. »

» Quaestiones pro hisce Congregationibus proponen-
» dae erunt de Sacra Scriptura, de Theologia Dogma-
» tica, de Disciplina Morali, de Sacris Ritibus. »

Praecipimus autem Nos, ut omnes, nisi legitimum excuset impedimentum, Sacerdotes adsint; et pariter Clerici, qui Theologiae operam dant. Juniores Clericos congregationum solemnitati interesse volumus, a Casuum et quaestionum solutione amovemus, ne si quid arduum, si quid de venereis disputetur, vel rerum difficultate in errorem divertant, vel immatura cognitione depraventur. Monitos etiam facimus Canonicos, ad Confessiones excipiendas approbatos, quod et ipsi adesse debent, licet cum Nobis judices eos vocemus, neque ad solvendas quaestiones obligemus. Super quo ecce Sacr. Congr. Conc. responsa: *Sacra Congregatio censuit Episcopum cogere posse ad interessendum Parochos tam Saeculares quam Regulares* (3 Septembris 1630) *et omnes Sacerdotes Saeculares etiamsi sint Canonici* (15 Martii 1692) *praeterquam Clericos non constitutos in Sacris, qui non sunt cogendi* (30 Augusti 1737). Paroecia Ss. Mm. Victoris et Coronae Minoribus Observantibus credita, Congregationi Urbis assignata censeatur. Qua ratione autem hae Sacerdotum Congregationes, et Casuum collationes habendae sint, apposito Decreto constituemus.

(a, Psalm. 132. v. 1, 3, 4, Matth. XVIII. 20.

PARS III. CAPUT VII.

De Regularibus et Sodalitatibus

Perfectioris vitae, Deo inspirante, studiosi, plerique Christiani homines vel in coenobia a saeculi strepitu sese recipiunt, vel collatis invicem consiliis societates ineunt ad pietatem mutuo favendam auxilio. Utrosque nos decet pro Episcopi munere amplecti, sicuti toto et amplectimur pectore, et summo habemus eorum sancta in honore proposita. Hortamur itaque Sacerdotes, et praesertim Parochos, ut consilio, et cura omni juvent, ut si quos Deus a mundo in solitudinem adducere, et sibi ad sancta opera segregare voluerit, vocantem sequantur, exeantque de terra et cognatione sua quaerentes in coenobiis eum qui se, magnam nimis, mercedem parentibus pollicitus est. Verum caute prudenterque procedant, ne nimio decepti zelo se irrisionibus, vota sacra despectui, animasque dolori objiciant. Utrumque enim damnosum homines abducere a sua, vel in non suam committere vocationem.

Hac in Dioecesi erant olim plura sive virorum, sive virginum coenobia, in quibus perpetuis hymnis, et mortificationibus corporis atque animi Deus honorabatur, et placabatur, magnaque inde in populum diffundebantur pietatis sive monita, sive exempla. Nunc unum est e familia Sancti Francisci Assisiensis Minorum Observantum nomine nuncupatum: huic templum, domus, et Paroecia sub Patronorum Martyrum Victoris et Coronae tutela com-

missa est. Qua Paroeciae ministerio mancipatur, a Nostra pendet auctoritate, et Parochi officia ac munera exequi per aliquem ad hoc designatum, Nobisque probatum debet: qua Fratrum Familia Ordinis legibus regitur, in quarum observantiam ad juris normam invigilandum est Nobis. Hortamur ut ad quae bona sunt a Domino electi Fratres, proficiant; sint populo aedificationi, et sua sibi jura servantes, quae nunquam labefacturos Nos profitemur, concordiam, quae nunc est, semper cum Nobis et Clero ad Ecclesiae utilitatem communi cum gaudio stabilem faciant, nullaque unquam perturbatione contaminatam.

Sodalitia in pietatis emolumentum instituta sunt, itaque et qui in ea conscribuntur, et qui jam conscripti hoc semper prae oculis habeant: pietatem, nisi Pastori a Christo atque Ecclesia praeposito Dioecesi et Paroechiae pareant, frustra se colere, quin imo violare; quidquid enim boni ac meriti sperare datur, a schismate, et dissensione subvertitur. Insuper noverint, quod licet votis non sint obnoxii, leges tamen Societatis observare tenentur, si et Societatis in partem venire, et se Deo probatos esse velint. Denique et illud recogitent, quod si perfectiora quaerunt dantes Societati nomen, exempla populis se debere virtutum, et Christianos esse vita omni, et moribus se confiteri.

Itaque quod alibi etiam monuimus Doctrinae Christianae Sodalitium promovendum, augendum, ubi non est instituendum volumus, et fovendum ubi jam institutum viget.

Neque praetermittimus illius erga proximum Charitatis Institutum, cui Collationibus a S. Vincentio a Paulo nomen. Sciant Sodales se ad familiarum consolationem vocatos, ut et corporis pariter atque animae necessitatibus pro sua tamen conditione succurrant. Quidquid a mundo est, ab opere sancto repellant, Christi solummodo charitatem sibi proponant. Quod certe omni cum

successu facient si optima sua observent statuta, atque ad illorum formam sibi suisque operibus moderentur.

Breviter autem quae Provincialis Synodus sua exhortatione fovenda censuit et Nos recensemus, allatis Synodi verbis, optantes ut quivis Parochus fervido ac prudenti zelo studeat in suo populo promovere:

» I. Societates de Propaganda Fide et Sacrae Infan-
» tiae, quae, quum fidei simul et charitatis eminentissima
» instituta sint, nunquam satis commendanda videntur.

» II. Quum vero charitatis ordo requirat ut dum alie-
» nis opitulamur, proprios ac domesticos non oblivisca-
» mur, imo ad eos potiores conferamus curas, optat
» haec Sacra Synodus, ut magis propagentur, ac multi-
» plicentur Oratoria uti vocant, quibus adolescentuli a
» perversionis periculis submoventur, et in pietate ac
» bonis moribus confirmantur.

» III. Ut autem hujusmodi fides et charitas in animis
» fidelium altas agant radices, omni nisu, omnique ope-
» rite et recte excolantur, dirigantur, componantur Con-
» fraternitates Sanctissimi Sacramenti, quod cum fidei
» simul et charitatis praeclarum sit argumentum, mirum
» sane quot bona exinde ad fidem servandam, moresque
» confirmandos, aut reformandos undequaque promanent.

Id loci Provincialis Synodus SS. Cordis Jesu Societates instituendas proponit. Nos hoc praetermittimus, illud tantummodo praecipientes, ut SS.Sacramenti Societas juxta normas quas proximus Episcopus Antonius Gava, impetratis ab Apostolica Sede facultatibus constituit, componatur. Ambae enim SS. Sacramenti et Cordis Jesu Societates per Illum conjunctae in unam fuere, quae intentum ex institutione finem, et spiritualia emolumenta, utrisque a Pontifice concessa, fidelibus in illam conscriptis afferunt. Itaque in Parochiis si sit, promoveatur, atque augeatur, si vero non sit, praecipimus ut quam primum instituatur.

» Quum vero Deipara Immaculata Virgo Maria juxta Patrum et Ecclesiae sententias via regia Salvatoris » et appelletur et sit, ejus item purissimum Cor via pa- » riter regia ad SS. Cor Jesu merito censetur, ac pro- » inde una cum SS. Cordis Jesu Societatibus dulcissimae » ac purissimae Virginis Cordis Societates pro peccatorum » conversione amico foedere junguntur.... Praecipuae » curae sint Congregationes, quas Marianas vocant, in » quibus jam abundanter omnibus compertum est quot, » quantique fructus in bonum praesertim juventutis de- » riventur. Almae denique Deiparae cultum, quocunque » demum nomine censeatur, amplectamur, dilatemus, to- » toque cordis affectu animique studio excipiamus. Si » enim in tanto rerum discrimine, in tantis undique in- » gruentibus prementibusque necessitatibus et periculis » volumus ut facilius Deus inclinet aurem suam ad pre- » ces nostras, et annuat votis nostris, levemus oculos » manusque ad Sanctissimam Dei Genitricem Mariam » cujus nullum praesentius, nullum validius apud Deum » patrocinium, quaeque nostra amantissima Mater et » maxima fiducia nostra, imo tota ratio spei nostrae » quod quaerit invenit, et frustrari non potest. *SS. D. N.* » *Pius Papa IX. Encyclica Exultavit Cor nostrum* 21 » *Novembris* 1851. »

Indiximus autem ne Nobis insciis, vel non approbantibus quivis Parochus Sodalitates in sua Paroecia instituat, vel institui ferat. Sed si is est zelus, si ea est vicanorum pietas ut institui in bonum desiderent, ad Nos deferat, ut et rem, et rei methodum, normasque cognoscamus, atque opportuna, si videbitur, dirigamus, et confirmemus approbatione.



PARS III. CAPUT VIII.

De Bonorum Ecclesiasticorum Administratione

» Quum bonorum Ecclesiasticorum administratio, » ut in saepius laudata Conventione art. XXX. apud eos » esse debeat ad quos secundum Canones spectat, plu- » rimi interest ut norma statuatur juxta quam haec ipsa » bona diligenter, et fideliter administrentur. Etsi vero » hujusmodi bona vel Beneficiorum vel Ecclesiarum Re- » ctorum administrationi concredita sit, jus tamen et offi- » cium Episcopis competit ut huic administrationi praesint.

» Praecipit igitur haec Synodus ut Episcopi in sua » quisque Dioecesi ad hunc finem novum Officium quam- » primum instituant, et certum locum designent, et per- » sonas eligant, quae vel immediate, vel per Vicarios » Foraneos huic bonorum administrationi in tota Dioecesi » invigilent, et communes normas diligenter servent, quae » suo tempore promulgabuntur.

» In his enim regulis conficiendis illud cautum est, » ut illaesa remaneant jura Caesaris et Patronorum, ac » praecipue eorum qui, si redditus desint, pecunia data » supplere tenentur, et ea serventur quae in dicta Con- » ventione expresse sancita sunt. Interea omnino neces- » sarium est, ut Episcopi jubeant accuratissimam eorum- » dem bonorum recensionem fieri. Curent itaque Episcopi,

4 8 0

» ut singuli Ecclesiarum Rectores cum Procuratoribus
» (vulgo Fabbricieri) duplex conficiant quamprimum hujus
» recensionis exemplar, quorum alterum apud Curiam
» Episcopalem, alterum apud Ecclesiae Rectores dili-
» genter asservetur.

Haec Provincialis Synodus de bonorum Ecclesiasticorum administratione. Nos itaque nunc decernimus ut inventarium fiat Beneficiorum omnium, bonorum Ecclesiarum, et Seminarii; constitutoque administrationis hujusmodi Officio, normas trademus ad quas et Beneficiatis, et Procuratoribus invigiletur, ne quid deperire sinant, atque ut ea constituantur, quae Beneficiis quibuscunque, et Locorum Sanctorum Patrimoniis benevertere videbuntur. Ne oneris, quaesumus, pigeat; et Nobis et vobis instat jusjurandum, quo sarta tecta, interponentes Evangelii auctoritatem, et res, et jura Beneficiorum, commissaeque Ecclesiae promisimus esse conservaturos: et juramenti Religio si quemvis hominem, Sacerdotem maxime recti Custodem et Magistrum ad omnem debet sollicitudinem, curamque excitare.

FINIS TOTIUS SYNODI



ACCLAMATIONES

Cleri in fine Synodi Dioecesanae Feltrensis

Diaconus = » Deo Patri misericordiarum et Deo totius consolationis et gratiae, omnis laus, honor et gloria in saecula saeculorum. »

Clerus = » Amen. Amen. Amen. »

Diac. = » Beatissimo Domino Nostro Pio Papae IX. Sanctae et universalis Ecclesiae Pontifici, Christiani nominis in omnes terrarum partes propagatio, cunctarum gentium obedientia; pax vera, diuturna prosperitas. »

Cler. = » Domine Deus, Sanctissimum Patrem nostrum conserva, mitte illi auxilium de Sancto, ut eo gubernante, gentes omnes illuminentur, et quae dispersae sunt in unum Ecclesiae tuae ovile colligantur. »

Diac. = » Illustrissimo ac Reverendissimo Episcopo nostro Joanni, hujus Synodi Praesuli, ejusque ministris salutaris vigilantia, in laboribus constantia et felix exitus. »

Cler. = » Omnipotens Deus, super Antistitem nostrum Joannem, benedictionum tuarum dona perpetua multiplica. »

Diac. = » Francisco Josepho I. Imperatori ac Regi, et omnibus Principibus Christianis, Catholicae religionis zelus, justitiae et pacis foecunditas, et contra Christianae fidei hostes victoria. »

Cler. = » Princeps coelestis, terrenos Principes Catholicae fidei, aequitatis et concordiae conservatores, atque hostium nostrorum exterminatores custodi. »

Diac. = » Civitati et Dioecesi Feltrensi tranquillitas, salus et divinarum gratiarum abundantia. »

Cler. = » Benedic, Domine, filios tuos, et esto in circuitu populi tui ex hoc nunc et usque in saeculum. »

Diac. = » Decretorum hujus Dioeceseos observantiam salutarem, omnes, qui hic adsumus, unanimi voto a Deo bonorum omnium largitore humiliter imploremus intercedente *Deipara Immaculata Virgine Maria* Domina nostra sine labe originali concepta, cum Beatis Apostolis *Petro* et *Paulo*, et Beatis Patronis nostris *Victore* et *Corona, Laurentio, Prosdocimo, Bernardino,* et omnibus Sanctis. »

Cler. = » Fiat, fiat. Amen, Amen. »



OFFICIALES SYNODI

ET CAETERI A SYNODO CONSTITUTI

Promotor Synodi

Reverendiss. D. Hieronymus Doct. Rossi Canonicus Ecclesiae Cathedralis.

Secretarius Synodi

Reverendiss. D. Jo. Baptista Doct. Zanettini Canonicus Poenitentiarius Ecclesiae Cathedralis.

Pro - Secretarius Synodi

A. R. D. Franciscus Renier Magister Aulae et Caeremoniarum Episcopalis.

Praefectus Domiciliorum

Reverendiss. D. Hieronymus Doct. Rossi, qui supra.

Notarius Synodi

A. R. D. Joseph Doct. Bovio Pro-Cancellarius Episcopalis.

Praefecti disciplinae Synodalis

1. Reverendiss. D. Antonius Martini Canonicus Ecclesiae Cathedralis.
2. Reverendiss. D. Daniel a Turre Canonicus Ecclesiae Cathedralis.

Judices querelarum et excusationum

1. Reverendiss. D. Jo. Bapt. Doct. Zanettini, qui supra.
2. Reverendiss. D. Philippus Doct. Barp Canonicus Ecclesiae Cathedralis.

Procurator Cleri

A. R. D. Joseph Olnaider.

Magistri Caeremoniarum

1. A. R. D. Franciscus Renier, qui supra, pro Illustriss. ac Reverendiss. D. D. Episcopo.
2. A. R. D. Jo. Baptista Tamboso Praepositus Ecclesiae S. Jacobi et Ecclesiae Cathedralis Mansionarius, pro Reverendiss. Capitulo et Clero Cathedralis.
3. A. R. D. Joannes Sotti Ecclesiae Cathedralis Mansionarius, pro Clero Foraneo.

Confessarii Synodi

1. Reverendiss. D. Jo. Bapt. Doct. Zanettini, qui supra
2. Reverendiss. D. Philippus Doct. Barp, qui supra.
3. Reverendiss. D. Hieronymus Doct. Rossi, qui supra.
4. Reverendiss. D. Antonius Martini, qui supra.

Ostiarii Synodi

1. Clericus Andreas Jagher.
2. Clericus Jacobus Zucco.
3. Clericus Ricardus Campidelli.
4. Clericus Aloysius De Carli.

Examinatores Synodales

1. Perillustris ac Reverendiss. D. Franciscus Bertagno Canonicus Decanus Ecclesiae Cathedralis, Vicarius Generalis Illustriss. ac Reverendiss. D. D. Episcopi.
2. Reverendiss. D. Paulus Corsetti Canonicus Theologus Ecclesiae Cathedralis.
3. Reverendiss. D. Joannes Sotti Canon. Eccles. Cathedr.
4. Reverendiss. D. Jo. Bapt. Doct. Zanettini, qui supra.
5. Reverendiss. D. Philippus Doct. Barp, qui supra.
6. Reverendiss. D. Hieronymus Doct. Rossi, qui supra.
7. Reverendiss. D. Antonius Martini, qui supra.
8. Reverendiss. D. Daniel a Turre, qui supra.
9. A. R. D. Pergentinus Doct. Maltarel Archipresbyter Vicarius Foraneus de S. Justina.
10. A. R. D. Felix De Biasi Archipresbyter Vicarius Foraneus de Pedavena.
11. A. R. D. Franciscus Pievatolo Archipresbyter Vicarius Foraneus de Lamòn.
12. A. R. D. Antonius De Carli Parochus S. Marci hujus Civitatis.

13. A. R. D. Bartholomaeus Zannini Parochus S. Lucae hujus Civitatis.
14. A. R. D. Albertus D'Alberto in Seminario Episcopali Feltrensi Praeceptor.
15. A. R. D. Paulus Ceccato in Ecclesia Cathedrali Praecentor.
16. A. R. D. Jo. Bapt. Segato Archipresbyter de Rasajo.
17. A. R. D. Michael Ferro Archipr. pensione donatus.
18. A. R. D. Victor Perotto Archipresbyter de Cesio.
19. A. R. D. Jo. Baptista Pagnussatto Archipresbyter Parochus de Villabruna.
20. A. R. D. Gaspar Scalet Parochus de Arina.

TRIBUNAL MATRIMONIALE

Praeses

Reverendiss. D. Jo. Bapt. Doct. Zanettini, qui supra.

Consiliarii

1. Reverendiss. D. Paulus Corsetti, qui supra.
2. Reverendiss. D. Philippus Doct. Barp, qui supra.
3. Reverendiss. D. Hieronymus Doct. Rossi, qui supra.
4. Reverendiss. D. Antonius Martini, qui supra.
5. A. R. D. Eugenius Jarosch in Seminario Episcopali Praeceptor et AEconomus, Substitutus.

A. R. D. Joseph Doct. Bovio, qui supra, Secretarius.

CONSILIUM ADMINISTRATIONIS

Bonorum Ecclesiasticorum et Revisionis onerum Missarum

Praeses

Reverendiss. D. Hieronymus Doct. Rossi, qui supra.

486

CONSILIARII

1. Reverendiss. D. Philippus Doct. Barp, qui supra.
2. A. R. D. Eugenius Jarosch, qui supra.
3. A. R. D. Antonius De Carli, qui supra.
4. R. D. Joannes Fiammazzo Ecclesiae Cathedralis Mansionarius, Substitutus.

R. D. Joseph Bizzarini Ecclesiae Cathedralis Mansionarius, Secretarius.

R. D. Franciscus Cricco in Seminario Episcopali Pro-Rector, Pro-Secretarius.

CONSILIUM ADMINISTRATIONIS

SEMINARII EPISCOPALIS

1. Reverendiss. D. Philippus Doct. Barp, qui supra, electus ab Illustriss. ac Reverendiss. D. D. Episcopo.
2. Reverendiss. D. Antonius Martini, qui supra, electus a Reverendiss. Capitulo.
3. Reverendus D. Joannes Fiammazzo, qui supra, electus ab Illustriss. ac Reverendiss. D. D. Episcopo.
4. Reverendus D. Joseph Bizzarini, qui supra, electus a Venerabili Clero Civitatis.

EXAMINATORES

VOCATIONUM CLERICORUM

1. Reverendiss. D. Philippus Doct. Barp, qui supra.
2. Reverendiss. D. Hieronymus Doct. Rossi, qui supra.

CENSORES LIBRORUM

1. Reverendiss. D. Jo. Bapt. Doct. Zanettini, qui supra.
2. Reverendiss. D. Philippus Doct. Barp, qui supra.
3. A. R. D. Eugenius Jarosch, qui supra.

CENSORES

Qui ad Episcopum deferant de Sacris Oratoribus

1. Reverendiss. D. Jo. Bapt. Doct. Zanettini, qui supra.
2. A. R. D. Antonius Zanghellini in Seminario Episcopali Praeceptor.

CENSORES MUSICAE ECCLESIASTICAE

1. Reverendiss. D. Joannes Sotti, qui supra.
2. A. R. D. Paulus Ceccato, qui supra.
3. A. R. D. Joseph Doct. Bovio, qui supra.



APPENDIX

I.

Synodus Provincialis Parte III. §. 8. de Sponsalibus

Cum vero Sponsalia gravem inducant obligationem celebrandi congruo tempore matrimonii, Parochi adolescentibus commendent, ne inconsiderate, temere et soli clam ineant sponsalia, sed lumen a Deo assiduis precibus efflagitent, prudentium virorum consilium adhibeant, et coram testibus fide dignis ea contrahant; saepe enim fit, ut alter Sponsus alterius pertaesus fidem non praestet; et cum in jus venitur, nullo teste convinci possit; unde contentiones, infamiae, rixae, inimicitiae non sine gravi bonorum scandalo oriuntur.

II.

Illustrissimus ac Reverendissimus D. D. Episcopus, consulto Reverendissimo Capitulo et plenariis ejusdem suffragiis obtentis, Decreto 20 Junii 1861, Auctoritate sua Ordinaria, feriarum tempus pro Mansionariis Ecclesiae Cathedralis ad duos menses extendit, quousque non renoventur Capituli statuta.

INDEX

PARS PRIMA

PARS SECUNDA

PARS TERTIA

FINIS